DISQVISITIO

An Schedula quædam rectè probet damnatas Propositiones Jansenio esse.

CAPUT PRIMUM.

Observationes Generales in hoc Scriptum.

Cum nulla per se minus impedita sit Quæstio, quàm ubi id demum excuti an certæ Propositiones in certo Libro reperiantur, mirum plerisque vi ri necesse est super ejusmodi controversiâ in Janseniano, ut loquuntur, ᵭo posita, tot nostro sæculo contentiones exortas. Quid enim aie promptius & expeditius quàm alicujus Scriptoris librum diligenter iust re, ac rem totam ad Ecclesiæ testimonium judiciumque remittere?

Sed cogitationem istam sponte cuivis oborientem res accuratius spectata dispell nec modo proclive, sed necessarium fuisse monstrat, ut super eâ controversiâ in varias se tentias abirent Theologi, ac cæca inter se concertatione colliderentur. Cujus rei in h jus Disquisitionis limine causas afferri non abs re erit, multum reliquæ disputatic luminis allaturas.

Omnino quod ejusmodi quæstiones vulgò ad disceptandum faciles sint, id è trib fermè fontibus oritur.

Primus est, quod propositiones aliàs sive Summorum Pontificum sive Conciliorı authoritate damnatæ & suis notis affectæ cum expresso authoris nomine totidem ve bis in ejus Scriptis extabant, ut ad æquivalentes propositiones confugere nihil nece esset.

Alter, quod ferè semper aliàs de damnato in propositionibus sensu constitit, n ulla super hoc fuit inter Theologos opinionum varietas.

Tertius, quod similiter iidem de catholicis dogmatibus, ex quibus errorum jud cium pendet, inter se consentiebant.

At verò hæc tria Theologorum concordiæ vincula in Jansenianâ simul controver defuere. Nam quatuor è damnatis Propositiones constat in Jansenii Libro totide verbis expressas minimè reperiri.

Secundò de sensu omnium, cum varios singulæ pati possint, nullus inter Theolog consensus est.

ostremò nec de ipsis dogmatibus catholicis una & concors omnium sententia
ibus fontibus omnem Jansenianæ controversiæ dirimendæ difficultatem nasci in
ressu patebit.

ec verò litigandi materiam amovet; quod in sensu Jansenii damnatæ Propositio-
dicantur: quasi ille certò damnatus sit sensus, quem certò Jansenii esse constiterit.
cum varii Janseniani sensus circumferantur, in quem conferenda sit censura con-
non potest.

Quid si etiam, ut nonnulli dictitant, nihil sensit re ipsa Jansenius nisi quod Ec-
& summus Pontifex indemnatum & nulla affectum nota quotidie testantur. Etiam-
d proscriptum & anathemati subjectum summo Pontifice & Ecclesia reclamante
ndum erit? an id damnat Pontifex, quod quotidie probat?

uæri igitur & expendi necesse est quid verè senserit Jansenius, & tunc demum
sensus pro damnato habendus, si quid contineat ab Ecclesiæ doctrina dissonum.
nihil prorsus habeat nisi quod ubique terrarum, Ecclesia probante, Pontifice gra-
te doceatur, prorsus ille innoxius & à censurâ intactus pronunciandus erit, ac to-
nsuræ vis in aliquem sensum verè hæreticum, quem Summus Pontifex Jansenianum
crediderit, retorquenda.

tam qui inierit viam, poterit aliquid fortasse promovere; qui aliam insistet, hoc ipso
ac devii cursus cassique moliminis manifestus est.

Hoc si vidisset ac satis mente complexus esset cujusdam schedulæ scriptor, qua quin-
damnatas Propositiones in Jansenii libro re ipsa reperiri probatum tendit, aliam
è hujusce rei efficiendæ viam arripuisset.

ffirmat ille quidem in isto libro has Propositiones extare. Audio. Sed totidem-
erbis? de quatuor postremis negat, solum earum damnatum sensum in Jansenio
riri fatetur, verba non item.

Age, verba nihil moror, damnati sensus & catholicorum dogmatum, ex quibus erro-
agnitio pendet explicatione contentus; at hæc certè ab ipso prætermitti non opor-
, si quid confectum cupiebat. Quid enim ad eam quæstionem expediendam capi-
s, quàm fidei primum dogmata, ex quibus errores dignoscendi sunt, habere perspecta,
illum, quisquis est, damnatum sensum certis limitibus circumscribi & ad certam no-
em alligari. Quî enim sciam an aliquis sensus sit hæreticus, si mihi fidei veritas ignota
Quî sciam an locorum ex Jansenio depromptorum sensus cum damnato congruat,
riùs quis ille sit damnatus sensus certò pernoverim?

At rectiùs fortè in primæ Propositionis indagine versatur, cujus verba in Jansenio
are dicit? Nihilo rectiùs: nec enim in eo posita quæstio, an istius propositionis ver-
apud Jansenium reperiantur, sed utrum noxio & improbando sensu, an alio qui Ec-
iæ & summo Pontifici probetur. Id nisi discusso priùs damnato in propositione
u, discussis Ecclesiæ dogmatibus, dijudicari non posse palam est, quorum ille neu-
m attingit. Sed hæc quæ generatim in hanc Schedulam annotanda visa sunt longè
niora fient, ex iis quæ de singulis Propositionibus in progressu dicentur.

CAPUT II.

Argumenta Schedulæ circa primam Propositionem sigillatim expenduntur.

SCHEDULÆ SCRIPTOR.

PRima Jansenii Propositio extat ad verbum lib. 3. de gratia Christi cap. 13. §. hæc igitur p. 138. col. 2. lit. c. quæ verba nullum sensum proprium tolerabilem aut non damnabilem admittunt, præsertim propter illud *sunt impossibilia.* Hac voce neque usus est Augustinus, cujus verba sunt ista ibid. pag. 135. col. 2. lit. b. *Et tanquam muro impossibilitatis erecto* &c. ubi hoc, *tanquam,* multum diminuit. Deinde illud *muro* indicat nonnisi commoda quâdam metaphora loqui, sicut etiam loquitur Prosper cum ibi dicit *vincula quadam impossibilitatis.*

RESPONSIO.

SI non immeritò Nebridius toties ab Augustino laudatus stomachabatur quoties in re gravi brevem quis responsionem flagitaret, haud scio an non schedulæ scriptor minùs justè succenseri possit impeditissima quæstione tam levi opera defuncto.

Accusatur negatæ prima propositione præceptorum possibilitatis Jansenius. Ambigua criminatio prius explicanda quàm diluenda.

Quæro enim omnemnè omnino potestatem observandi mandata justis volentibu & conantibus abjudicasse dicitur Jansenius, an certam quandam & certi generis potestatem.

Si primum: manifesta calumnia est, ut vel ex tit. cap. 15. libri tert. de gratia Christ constare potest: in quo Jansenius multis modis mandata esse possibilia citra gratiam suf ficientem profitetur.

Si secundum: ergo certam hanc ac certi generis potestatem, cujus negatæ arguitu Jansenius, primùm definitam oportuerat; ne tota disputatio hujus vocis ambiguo flu ctuaret. Frustra igitur existimavit Scriptor rem tantam tam breviter confici posse. Se in hac ipsa brevitate quàm multa sunt posita minùs accuratè.

Hæc verba, inquit, *nullum sensum proprium tolerabilem aut non damnabilem admit tunt.* Quamvis sic esset; at saltem improprium tolerabilem & non damnabilem admit tunt: quod ad purgandam quidem propositionem satis non est, ad purgandum Jan senium satis est. Quis enim ulli unquam scriptori hanc legem fixit, ut animi sensus no nisi propriis verbis efferret? Quis unquam huic legi paruit? In Scriptura, in Patribu imo omnibus nullo excepto scriptoribus, nil metaphoris, tropis, catachresibus fre quentius: quæ tametsi in proprio sensu falsæ, ad alienum nullo negotio transferuntu At hæc verba in proprio isto perverso sensu à Jansenio accepta fortè contendet. Se hoc, pace Scriptoris illius dixerim, probatum & stabilitum decuit, non gratis sum ptum ac positum.

Sed fortè illud pugnabit, quacumque demum catachresi ac metaphora horum verbo rum durities molliatur, nullum illa sensum commodum admittere. Sed hoc si pugne certè non pervincet; imo nihil facilius quàm opinationem illam non dubiis argument revincere.

Docet Henricus Norisius, vir de Augustino & litteris bene meritus, in suis Vindiciis Augustinianis, non semper justis adesse proximam præceptorum servandorum potestatem; cum desit illis aliquando præpotens illa & valida Gratia cui voluntas numquam non obsequitur. Si quæras ab illo, quænam ergo tunc potestas justis adsit; remotam concedit, proximam negat. Et hæc ipsa remota in quibusdam bonis cogitationibus ab illo collocatur semper effectu carentibus, quas certè in hoc ipso de quo agitur loco Jansenius admittit.

Finge Jansenium hac doctrina imbutum, ut revera fuit, nonne ad illam exprimendam his verbis uti potuit: *Aliqua Dei pracepta justis imperfectè infideliterq; volentibus & conantibus sunt impossibilia proximè & immediatè: deest quoque illis gratia qua possibilia immediatè & proximè fiant.* En ipsissimam Norisii sententiam scholasticis verbis conclusam: Quid si, ubi satis aliunde expressisset de infirmo se ac debili conatu loqui, ac de proximâ non remotâ potestate, & gratia immediatam non mediatam potestatem largiente se tantum agere, resecatâ illâ verborum congerie, mentem suam pressius sic efferret: *Aliqua Dei pracepta hominibus justis volentibus & conantibus sunt impossibilia, deest quoque illis gratia qua possibilia fiant*; quid tandem esset in illa Propositione eo quo diximus sensu intellecta quod culpari meritò posset? Ergo hæc verba per se idonea sunt quæ Norisii sententiam Romæ ac passim alibi probatissimam significent.

Tradidit olim in Sorbona certam quandam de gratia sententiam Alphonsus Moinius, qua gratiam orandi ab agendi gratia hoc limite disjungebat, quod hæc semper efficax esset, ista autem plerumque non nisi sufficiens. Itaque etiam ex ipso justi volentes & conantes immediata præceptorum servandorum potestate sæpè carebant. Quid vetat igitur ad hanc sententiam, Molinianam licet & ab Augustino abhorrentem, exprimendam, hæc eadem verba usurpare: *Aliqua Dei pracepta*, &c. Imò, ne fingere ad arbitrium exempla videamur, his ipsis verbis istam sententiam in publicis prælectionibus Doctor Pereyret, tametsi Augustino & Augustinianis Theologis semper infensissimus, expressit.

Consentiunt Thomistæ nulla bona unquam opera sine prævia efficaci gratia fieri; nec voces illas defugiunt, *Sine efficaci gratia nullum bonum opus fieri potest: nulla gravis tentatio superari.* Quod si quis pro voce, *non potest*, vocem *impossibile* usurpare velit, his certè verbis Thomisticam doctrinam exprimet: *Aliqua Dei pracepta justis volentibus sunt impossibilia*, id est, non possunt ab illis impleri: *deest quoque illis gratia qua possibilia fiant*, potestate cum actu conjuncta, seu potestate nullum aliud auxilium requirente ut in actum prorumpat.

Excipiet fortasse scriptor Schedulæ diversum aliquid ab ipsis sentire Jansenium; sed id postea videbimus: interim patet non debuisse ab ipso sumi quasi concessum: Verba primæ Propositionis nullum tolerabilem & non damnabilem sensum admittere. Etsi enim in sensu obvio proprio, & quem avulsa præ se ferunt, hæretica dici possint, tamen ad minus proprium aliquo cum antecedentibus & consequentibus nexu inflexa non ægrè catholicum, imo multos catholicos sensus admittunt.

SCHEDULÆ SCRIPTOR.

Hac voce neque usus est Augustinus, cujus verba sunt ista ibid. pag. 135. col. 2. lit. B. *Et tanquam muro impossibilitatis erecto*, &c.

RES-

RESPONSIO.

QUi negat uſpiam aliquam vocem in Auguſtino extare in tam ſpiſſa voluminum mole, majus aliquid in ſe recipit, quàm vulgaris ingeniorum captus ferat. Nil mirum igitur incautæ affirmationi defuiſſe ſucceſſum. Quas enim ille voces negat unquam ab Auguſtino uſurpatas eæ nominatim extant Retractationum libro primo cap. 22. ubi ſic loquitur: *Cum fortis & potens præparatur voluntas à Domino, facile fit opus pietatis quod prius difficile atque impoſſibile fuit.*

Ecce diſertis verbis opus pietatis *impoſſibile* dictum. Sed quibus? Iis ſcilicet quibus fortis & potens voluntas nondum à Domino præparata eſt: nam cum præparata eſt, jam facile eſt. Nec promptum eſt ſolidum aliquod diſcrimen inter hunc Auguſtini locum & Janſenianum aſſignare.

Certum eſt enim apud Auguſtinum non omnibus juſtis volentibus & conantibus fortem ac potentem à Domino præparari voluntatem; ſed omnibus fortem & potentem non habentibus voluntatem opus pietatis impoſſibile Auguſtinus aſſerit. Ergo aliquibus juſtis volentibus & conantibus opus pietatis impoſſibile eſt ex Auguſtino. Nec verò magna huic voci, *impoſſibile*, adhibenda vis eſt, ut à pravo ſenſu ad ſaniorem revocetur. Tametſi enim propter Tridentini maximè Concilii Decretum, quo anathemati ſubjiciuntur qui Dei mandata impoſſibilia dixerint, vox iſta malo ſenſui velut affixa dici poſſit, ideòque nemo temerè illâ uti debeat; tamen ſi vis ejus ſecluſo Theologico uſu ſpectetur, nihil per ſe ſignificat niſi negationem alicujus poteſtatis. Ita quidquid quocumque ſenſu non poſſe dicimur, idem nobis hoc ſenſu impoſſibile eſt.

Itaque cum nihil in Scripturis, Patribus, Conciliis ſit tritius, quàm ut juſti quædam non poſſe dicantur, ſi quis illarum vocum loco voces, *impoſſibile, impoſſibilia*, ſcriptor uſurpet, dummodo aliunde de ejus ſenſu conſtet, eſt fortaſſe quod ejus in hac parte prudentiam requiras, non eſt quod erroris & hæreſeos inſimules.

SCHEDULÆ SCRIPTOR.

VErba Auguſtini ſunt: *Tanquam muro impoſſibilitatis erecto:* ubi hoc, *tanquam* „ multum diminuit. Deinde illud, *muro*, indicat non niſi commoda quadam me- „ taphora loqui.

RESPONSIO.

NEc hæc ſolida obſervatio eſt. Etſi enim vox, *tanquam*, aliquid emolliat, non tamen vocem, *impoſſibilitatis*, ſed vocem, *muro*; non enim vox *tanquam* vocem *impoſſibilitatis* afficit, ſed vocem *muro*: quæ cum non multum trita ſit & uſitata in hoc metaphorico ſenſu, hujus beneficio vocis emollitur. Exemplum affero. Si quis hominibus fœda aliqua imagine perſtrictis, ruborem dicat tanquam quoddam velum pudoris à natura conceſſum, *veli* vocem utique molliorem efficiet, ſed *pudoris* voci totum ſuum ſignificatum relinquet.

Similiter dum Auguſtinus dicit *erectum quibuſdam tamquam murum impoſſibilitatis*, de voce *muri* duritia non nihil detrahitur; nihil prorſus de *impoſſibilitatis* voce.

Idem dici debet de verbis Proſperi: *Vincula quadam impoſſibilitatis. Eſt*, inquit Scriptor,

or, *in his verbis commoda quædam metaphora.* Ita est: sed quæ vocem *vincula* afficiat, non vocem *impossibilitatis.*

CAPUT III.

Multis Argumentis astruitur catholicum sensum primæ Propositionis verbis à Jansenio subjectum.

HActenus satis patuit quàm nihil Schedulæ scriptor in prima Propositione Jansenio tribuenda promoverit. Sed plus à nobis veritatis amor exigit, & illud experiri jubet, num certior quædam initi via possit ad totam illam quæstionem expediendam. Nec, nisi multa me fallunt, positis quibusdam Lemmatis, sine quibus tota disputatio vacillaret, multum à scopo aberrabimus.

Lemmata primo Argumento præstructa.

PRIMUM LEMMA.

CAtholicæ fidei non est, justos renisu concupiscentiæ conantes atque volentes imperfectè, ad quodvis præceptum implendum Molinianâ potestate potiri, id est ali quæ cum iisdem prævis dispositionibus quandoque agat, quandoque non agat.

Nihil est quod in hoc Lemmate probando laboremus: cum in hoc assentientes habeamus ipsos etiam Molinianæ potestatis buccinatores, qui suum dogma nondum ad fidem pertinere dixerunt, tametsi quo pacto aliter humanæ libertati consuli possit, non intelligere se dicant. Cæteri Theologi, nec numero pauciores, nec authoritate inferiores, hanc Molinianam potestatem funditùs ejecerunt, vidente, ferente, probante Ecclesia, idque in libris summo Pontifici dicatis vel Romanæ Curiæ Proceribus: nec tot unquam libri de Gratiæ efficacis necessitate prodierunt, quàm ex quo Innocentius X. quinque propositiones censura confixit, easque in Janseniano sensu damnatas declaravit Alexander VII.

LEMMA II.

SI catholicæ Fidei non est, Molinianam potestatem justis semper vel etiam usquam adesse, eam justis volentibus & conantibus imperfectè aliquando abjudicare intacta fide licet. Patet ex primo Lemmate secundi veritas, nec propria probatione eget. Quod enim Catholicæ fidei non est, negare intacta fide licet.

LEMMA III.

NOn adest semper justis volentibus & conantibus ejusmodi potestas quæ suo nunquam careat effectu, semperque cum actu conjungatur: qualis sine gratia efficaci non habetur.

Est etiam per se perspicuum Lemma. Cum enim non omnes justi semper bene agant, palam est eos potestatem illam nunquam ab actu sejunctam tum non habere, nec gratia semper efficaci potiri.

LEM-

LEMMA IV.

QUi utraque potestate caret, rectè non posse dicitur illæsa Catholica fide.

Etsi hujus Lemmatis veritas satis ex ipso sensu communi manifesta sit; tamen innumeris & Scripturæ & Patrum locis confirmari potest. Sunt enim justi de quibus vox, *non posse*, rectè usurpatur, ut de Petro toties ab Augustino & aliis Patribus usurpata est. Quisquis autem non posse dicitur, ei alicujus generis potestas negatur, & eo saltem statu esse significatur, ut nunquam acturus sit. Nihil autem amplius habet utriusque suprapositæ potestatis inficiatio, nisi hominem in eo statu esse, ut nunquam benè acturus sit, nisi novum aliquod auxilium accesserit.

ARGUMENTUM PRIMUM.

NOn aliam potestatem justis volentibus & conantibus abstulisse videtur Jansenius quàm utramque superiùs explicatam.

Hujus veritas patet. Quia statim initio libri 3. profitetur vocare se sufficientem gratiam, præter quam nihil aliud ex parte Dei per modum principii necessarium est ut homo velit & operetur. Fixa autem sufficientis gratiæ notione, simul potestatis quam justis eripit, notionem constituit. Certum enim Jansenio phrases prorsus esse synonimas: *Justi volentes & conantes carent aliquando gratia sufficiente ad implenda præcepta*: & *Justi carent aliquando potestate implendi alicujus præcepti.* Ergo quàm orthodoxè dicere potuit, Justis non semper adesse gratiam sufficientem Moliniano sensu, tam orthodoxè dicere potuit, Justis non semper adesse certum potestatis genus, nempe Molinianum, vel illo etiam validius quod à gratia efficaci nascitur. Præterea id Jansenius disertis verbis profitetur, non de justis modò, sed de omnibus omnino hominibus: Constat igitur, inquit, peccata à non habentibus gratiam sufficientem posse vitari, non quidem illa proxima potestate quæ dat simul velle quod possumus, & posse quod volumus, nec illa quæ potestatem voluntatis velut in æquilibrio ad utrumque ponit, qualem libertatem solam sibi Scholastici soli conceperunt.... sed illa remotiore potestate qua possunt ea vitare si voluerint: si autem noluerint, defectus est voluntatis, non potestatis quam voluntas supplere non possit. En duplex potestatis illud genus quod à Jansenio justis aliquando negatur. Accedit quod utriusque negatio potestatis scopo Jansenii planè satisfacit. Totus est enim in hoc duplici capite Jansenius, tum ut Molinæ gratiam funditus subruat, tum ut efficacis quæ non omnibus adest, gratiæ necessitatem astruat. Manifestum est autem ad utrumque caput obtinendum duplicis illius potestatis negatione satis esse. Cur ergo negasset alterius generis potestatem, & sic librum suum non necessaria invidia onerasset?

De Grat. Chri. Salv. l. 3. c. 1.

Scio quosdam nonnunquam longiùs provehi quam ab initio decreverant: sed nemini hujusmodi error rectè tribui potest, ni certa hujus documenta suppetant. Quisquis ergo Jansenium negatæ alterius quàm Molinianæ vel efficacis potestatis reum agere voluerit, huic hujus accusationis probandæ onus incumbit: quod non video ab ullo vel tentatum esse. Non tentat certè illius quam expendimus, schedulæ scriptor: & ideo planè causa cadit. Liceat ergo nobis interim hoc argumento ex præcedentibus Lemmatis consectario uti.

Argumentum primum brevius adstringitur.

QUisquis justis volentibus & conantibus vel solam Molinianam vel cum actu conjunctam potestatem aliquando negat, in Fidem catholicam nihil peccat.

Atqui Jansenius potestatem implendi mandata non nisi gemino illo sensu, justis, certis in casibus eripit.

Igitur in fidem Catholicam nihil peccat; etsi duriùs sensum suum his verbis expresserit: Aliqua Dei præcepta, &c.

Lemmata secundo argumento præstructa.

ALteri argumento huic affini quod jamjam adhibebimus sua, quoque propria Lemmata præstruemus.

LEMMA PRIMUM.

OMnibus Theologis probantibus, Aliquibus justis volentibus & conantibus imperfectè immediatam & proximam implendi alicujus præcepti potestatem aliquando negare licet.

Hanc enim negat supra laudatus Henricus Noris, his verbis:

Vindic. Aug. §. 6. ,, Infero, inquit, in statu naturæ lapsæ non omnibus dari nec semper præsto esse illud adjutorium: nempe ut ante dixerat ad observationem cujuscumque præcepti necessarium. Et infra, "Respuenda est sententia illorum qui dicunt gratiam proximè sufficientem semper adesse. Item, Quod lex ut obliget non debeat supponere in operante potentiam proximam ad faciendum opus quod imperatur, est constans ejusdem sancti Patris doctrina contra Pelagianos." Et de gratia orandi: "Licet quis sit fidelis non habet in singulis momentis præsens divinum auxilium proximè sufficiens ad orandum.

Negant Semi-Molinistæ, qui gratiam orandi à gratia agendi in eo sejungunt, quod prima merè sufficiens, altera efficax sit: ideoque hanc multis justis non adesse concedunt, alteram nulli deesse prætendunt.

Denique negat Concilium Tridentinum, dum Deum jubendo monere dicit & facere quod possis & petere quod non possis. Hoc enim ipso clarè definit, justis petentibus eam quam petunt potestatem nondum adesse.

LEMMA II.

VErum dogma rejici & damnari non debet propter alicujus falsi dogmatis adjunctionem; verum enim falsi adjunctione verum esse non desinit.

LEMMA III.

IN loco illo ex capite 13. lib. 3. de gratia Christi salvat. deprompto: ***Hac igitur plenissimè & planissimè demonstrant, &c.*** Jansenius solam agendi gratiam seu implendi præcepti immediatam potestatem, nullo modo autem mediatam & remotam, justis volentibus & conantibus aufert. Nec dubiis id argumentis constat, sed certis & perspicuis.

Nam

Nam in illo ipso loco, ubi deesse justis ejusmodi potestatem asserit, id ex eo probat, quod ad eam obtinendam Deum invocemus: *Ad hanc igitur*, inquit, *sanitatem voluntatis assequendam, ut quemadmodum subinde necessarium est, fortiter, plenè atque integrè velle possimus, repugnantesq; libidinis seu contraria voluntatis motus vincere, gratiam invocamus, hoc ipso clarissima voce profitentes deesse nobis sufficientem ad illa pracepta facienda potestatem.* Nemo autem ita fatuus unquam extitit, ut gratiam orandi plane deesse ex eo probaret, quod aliquis Deum invocet, cum sit propositio se ipsum, ut loquuntur, falsificans.

ARGUMENTUM II.

QUi solam immediatam & proximam bene agendi, & alicujus implendi mandati potestatem justis aliquando non adesse asserit, nihil à Catholica Fide dissonum docet. Ex 1. Lemm.

At id solum Jansenius asserit eo loco ex quo prima Propositio deprompta est. Ex secundo Lemm.

Ergo nihil hoc loco docet à catholica fide dissonum.

DILVITVR OBIECTIO.

OBjici potest, non solam benè agendi, sed etiam ut oportet orandi potestatem, justis à Jansenio negari, cum ex ipso multi tam implendi præcepti, quàm orandi ut oportet potestate destituantur.

Resp. sic esse, & utrumque à Jansenio doceri, sed distinctis locis, distinctis articulis, distinctis conclusionibus. Nam immediatam benè agendi potestatem justis aliquando deesse, quatuor conclusionibus asserit, in quarum postrema habentur verba unde prima Propositio deprompta est.

Quatuor autem illis conclusionibus adeo non asserit gratiam orandi deesse, ut ex orandi gratia quæ adsit, probet non adesse gratiam benè agendi.

Orandi verò gratiam & potestatem aliquando deesse, non nisi conclusione quinta asserit.

Ex his duabus conclusionibus, primam omni nota carere fatentur omnes Theologi; secundam invadunt quidam Molinistæ Parisienses, jure an injuriâ, nihil ad rem. Sed quintæ conclusionis, sive potius adjecti quintæ conclusioni dogmatis invidia, de negata quibusdam orandi gratia, in quartam refundi non potest, quæ doctrinam continet omnium consensu rectam & innoxiam: ex secundo Lemmate. Separatim verò mentem suam de agendi gratia & orandi Jansenium expressisse, vel ex titulo capitis patet, quo breviter complexus est quæ per totum executurus erat. Hic Titulus ita se habet:

Esse quandam voluntatis infirmitatem, qua non potest certas tentationes superare, nec adest gratia qua superentur, nec spiritus orationis quo vires impetrentur.

Ubi ad oculum patet, illud quod ait, *nec adest gratia qua superentur*, de sola agendi gratia intelligi, cum sequatur quasi aliquid diversum, *nec spiritus orationis quo vires impetrentur.*

Lemmata tertio Argumento præstructa.

LEMMA PRIMUM.

Catholicæ fidei satisfacit, si quis asserat justis semper adesse potentiam implendi cujuslibet mandati in sensu diviso; non enim aliam admittunt Thomistæ omnes, qui observationem mandati cum sola gratia sufficiente componi posse negant, licet per illam dari velint veram illorum implendorum potestatem. Itaque ex illis justi gratia efficaci præmoti malè agere possunt in sensu diviso, non composito: iidemque gratiâ efficaci destituti in sensu non composito, sed diviso, benè agere possunt.

LEMMA II.

Ut Jansenius potestatem malè agendi in sensu diviso adesse asserit gratia efficaci instructis, sic idem potestatem benè agendi & cujusvis præcepti implendi hominibus gratia efficaci destitutis nunquam deesse docet. Loca sunt expressa lib. 8. Cap. 20. Dicimus, inquit, liberum arbitrium quantumcumque vehementi atque efficaci gratiæ delectatione præventum atque determinatum ad faciendum bonum, adhuc tamen posse bonum non tantum non facere, sed etiam malum. Verùm est enim istud, non quidem in sensu composito, ut vulgò dici solet, sed in sensu diviso." Quem sensum divisum inferiùs explicans, veram admittit SIMULTATEM potentiarum:" Non quod, inquit, cessatio ab actu quem tunc elicit, aut actuale peccatum cum gratiæ delectantis influxu consistere possit, quod sensus compositus postularet: sed quia cessandi & peccandi potestas cum eadem gratia simul in eodem voluntatis arbitrio conjungi potest. Nam quamvis duo actus oppositi simul in eadem voluntate esse non possint, potestates tamen ad opposita non sunt oppositæ.

At quod de potestate peccati cum gratia efficaci simul consistente hic asserit, id ille de potestate bene faciendi simul cum dominante concupiscentia pariter cohærente, postea docet.

Quemadmodum, inquit, qui sub gratia ad opus bonum determinante operatur, simul etiam peccare potest, ita quoque è contrario qui illa gratia destituitur, sive fidelis sive infidelis, & peccandi tentationibus quatitur, simul etiam benè agere potest." Quòd verum esse ait in sensu diviso, non composito.

ARGUMENTUM III.

His Lemmatis non nisi conclusionem subjicere necesse est, sed perspicuitatis gratia integrum argumentum repetemus.

Satisfacit fidei Catholicæ quisquis quodvis præceptum à justis semper impleri posse profitetur in sensu diviso, eo nimirum, quo potestates ad opposita, non actus contrarii, simul consistere dicuntur.

Sed Jansenius potestatem illam benè agendi in sensu diviso, & fidelibus & infidelibus semper adesse asserit.

Ergo Catholicæ fidei satisfacit.

Occurritur cuidam objectioni.

SUnt qui objiciant potentiam illam malè agendi præsente efficaci gratia benè agendi, sæviente & dominante concupiscentia, à Jansenio admissam, non esse veram potentiam activam, sed solùm potestatis activæ receptibilitatem; quia sæpe Jansenius hanc per flexibilitatem explicat. Sed ut id gratis dicitur, ita gratis negari potest: negationis tamen fidem vel unus hic locus satis adstruit.

Si desit, inquit, gratia quæ voluntatem peccato inhiantem flectat in bonum, potestas illa bene faciendi effectu suo cassa remanebit, nec tamen qualiscumque potestas bene faciendi esse desinet, qua sub peccandi & non credendi delectatione ac determinatione constituti, possunt credere & bene facere.

Nec refert quod potestatem illam sæpe flexibilitatem vocat: est enim flexibilitas activa, quemadmodum & potestas. Activam autem esse vel hinc potest intelligi, quòd in Adamo certè potestas bene faciendi fuit activa. At vero Jansenius docet nil propriè ex ista potestate esse detractum, sed tantùm additam malæ voluntatis pertinaciam qua fit, non ut voluntas non possit, sed ut nolit & eatenus tantùm non possit quia non vult.

Huc accedit, inquit, quòd hujusmodi pondere delectationum, quibus efficitur ut voluntas rationalis actu velit bonum aut malum, non tam posse aliquid facere quàm velle tribuatur.

Et infra: Cum liberum arbitrium concupiscentiarum delectationibus rapidissimè præcipitatur in malum ut ardentissimè illud diligat, non tam bene faciendi potestas ei tollitur quàm voluntas: & ideò potestas quia voluntas; posse enim sequitur voluntatem.

Ex quo etiam intelligi licet, nullam à Jansenio admitti impotentiam nisi consequentem, quam libertati nihil officere ipsi Molinistæ passim fatentur.

Eorum, inquit, impotentia in vehementissimè nolendo sita, quam nolendi vehementiam, & inde impotentiam, ardentissimæ concupiscentiæ delectatio facit.

En gradus ab illo constitutos. Primus est vehemens delectatio. Secundus, vehemens nolitio. Tertius, impotentia inde consequens, id est ex nolitione.

Quæres in illo secundo gradu, an possit voluntas delectationem abjicere? Respondeo posse sed nolle, idque intimo nos sensu experiri; plena est enim vita ejusmodi exemplis: Damnato ad triremes, ad restim, ad rotam, offertur à Principe venia; potestne illam repudiare? potest certè, sed non vult. Sed potest, inquit Vasquesius, excogitare rationes quibus permotus triremes, restim, rotam, vitæ præferat? Iterum dico, potest, sed non vult; imò vult, ejusmodi ratiunculas explodere & oblata gratia frui.

Obtingit avaro ingens hæreditas sine dedecore, sine periculo, sine labore: potestnè illam repudiare? Respondeo, potest & non vult.

Quàm volet instet Vasquesius, flexibilitatem arbitrii deprædicet, & illam varias undequaque rationes accersendi facilitatem, nè ille, tantæ hæreditatis cupidus, multum valere jubebit argutias Vasquesianas.

Potest Græcis Imperium Constantinopolitanum vel subito restituere Turcarum Imperator. Adeant illum Molinistæ, vires libertatis extollant, per me licet ut illi suæ sententiæ confidant, si, non dico id impetraverint, sed si integri nec malè mulctati redierint.

CAPUT QUARTUM.

De secunda Propositione.

Nihil probare schedulæ scriptorem circa secundam Propositionem, demonstratur.

IN easdem se difficultates implicat Schedulæ Scriptor circa secundam Propositionem, quibus se circa primam irretiit. Qui enim probare cupit hanc Propositionem Jansenio tribuendam, is ante omnia definiat ejus sensum oportet, quod nedum præstet Schedulæ Scriptor, ut hujusce rei necessitatem ne vidisse quidem videatur. Sed viderit, nec nè, nihil ad rem: certè necessarium hoc prorsus esse, si quidem operam quis ludere nolit, demonstrari facile potest.

Varia sunt interiorum gratiarum genera. Nec omnibus resisti docet fides, nec nullis resisti docet Jansenius. Certè enim, ut de gratia voluntatis interim taceam, gratiæ interiori intellectus resisti non negat.

Rursus varia sunt resistentiæ genera. Nec exigit fides ut respectu interioris gratiæ quodvis resistentiæ genus admittatur: nec docet Jansenius interiori gratiæ nullo resistentiæ genere resisti. Quod quoniam totam rem continet, hic in limine probandum est.

PRIMUM LEMMA.

OMni resistentiæ genere gratiæ interiori vel voluntatis vel intellectus resisti, fide tenendum non esse apertissimum est.

Est enim ex resistentiæ generibus unum quod vocari meritò potest resistentia Moliniana; cum scilicet aliqua gratia per voluntatis renisum eo privatur effectu quem in aliis nonnunquam habet cum iisdem prævіis dispositionibus. Atqui hoc resistentiæ genus necessariò admittendum fides non docet; cum admitti non jubeat gratiam versatilem & Molinianam.

LEMMA II.

NEc minùs perspicuum est, nunquam sensisse Jansenium, gratiæ interiori nullo resistentiæ genere resisti. Dissensus enim à gratia interiori unum est ex resistentiæ generibus. Atqui à gratia interiori quosdam dissentire disertis verbis Jansenius affirmat: *Constat*, inquit, *multos divinitus mente collustrari. Imò verò & in ipsa voluntate motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus intima suasione & inclinatione dissentiunt.* Quæ verba ab eo ex proprio sensu dicta, nemo jam inficiabitur.

Est etiam resistentiæ genus, renisus. At voluntatem concupiscentia depravatam gratiæ reniti multoties Jansenius admittit.

Resistentiæ genus est, cum animus à gratia excitatus in *solis desideriis inefficacibus* hæret. At id toties contingere, quoties contingit ardentiorem esse cupiditatem, expressis verbis Jansenius affirmat. Ergo, quod confectum volo, non omne resistendi gratiæ interiori genus sustulit Jansenius.

AR-

ARGUMENTUM PRIMUM.

CUm pateat ex dictis, nec fidem exigere, ut gratiæ interiori omni ratione resistatur, nec Jansenium negare interiori gratiæ ulla ratione resisti: ut errasse ille probetur circa resistentiam gratiæ, afferendum est necessariò certum resistentiæ genus quod fides catholica admitti jubeat, & cujus negati Jansenius argui possit; nec qui hoc non facit quidquam probat aut probare potest.

Atqui nec certum illud resistentiæ genus assignat Schedulæ Scriptor, nec illud à Jansenio negatum ullo modo pervincit. Ergo nihil probat vel probare potest.

Expenduntur loca ex Iansenio deprompta, in quibus contineri dicitur secunda Propositio.

SCHEDULÆ SCRIPTOR.

SEcunda Propositio nusquam extat in terminis in Jansenio. Termini in illo qui proximè accedunt, habentur lib. 2. de gratia Christi cap. 24. p. 81. col. 2. litt. L. *Hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere*: quasi Augustinus hoc assereret. In quo fatendum ipsum tradere sensum hujus secundæ Propositionis. Nam certum est ipsum agere de gratiâ in statu naturæ lapsæ, cum agat de gratiâ Christi Salvatoris. Quod autem de gratiâ interiori agat, facilè probatur ex generali modo loquendi & sensu negativo, quo de omni gratiâ se agere significat. Sensus itaque clarus ipsius est, nulli gratiæ per quam Deus in homine operatur, posse resisti: quod nullum sensum verum habet, nec ullo modo assertum est à D. Augustino, præsertim iis locis quæ Jansenius subjicit, utpote in quibus Augustinus perspicuè non aliud dicit quàm, *Deo volenti salvum facere*, item *voluntati Dei* qui in cælo & in terra quæcumque voluit fecit, non posse resisti ab homine: quod verissimum est, intelligendo de propriè dicta voluntate beneplaciti, seu qua, ut ait Augustinus, *omnia quæcumque voluit fecit*. Sed ex illo non sequitur nulli gratiæ resisti, cum gratia dari possit non ex absoluta Dei voluntate salvandi sive salvum faciendi.

RESPONSIO.

NUllum locum fatetur Schedulæ Scriptor magis ad secundam è damnatis accedere quam istum ex cap. 24. l. 2. p. 81. depromptum.

Non raro dicit Augustinus, hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere. Et hunc locum prorsus significationis ejusdem esse cum damnata propositione contendit. At non affirmatum istud, sed validè stabilitum decebat. Argumenta igitur videamus.

Loquitur, inquit, Jansenius de gratiâ in statu naturæ lapsæ. Sit ita sanè. Loquitur de gratiâ interiori. Quid tum? De omni gratia sese loqui significat. Etiam istud libet concedere; quod tamen aliquo sensu verum est, aliquo falsum. At non loquitur de omni resistentia, sed de certa resistentiâ quam negat. Non loquitur de gratia sola; sed de gratia quatenus est instrumentum absolutæ Dei voluntatis. At verò damnata propositio loquitur de omni resistentia & de gratiâ solâ; quæ duo damnatæ propositionis ab ea quæ affertur discrimina, vel ignorari vel dissimulari non debuerunt.

Rem explico. Non exigit catholica fides, ut sæpe jam dixi, ut gratia versatilis Moliniana, quæ cum iisdem præviis dispositionibus nunc effectum habeat, nunc non habeat, admittatur.

Ergo non exigit etiam, ut admittatur resistentia Moliniana, qua scilicet privetur gratia eo effectu ad quem det Molinianam potestatem, quæ effectu nunc careat, nunc potiatur. Ergo non exigit catholica Fides, ut quis profiteatur gratiæ omni sensu resisti.

Quod si id non exigit fides, sequitur damnatam Propositionem, *Gratiæ interiori nunquam resistitur*, intelligendam de omni resistentia, ut sit ejus sensus: Gratiæ interiori nulla ratione resistitur; quia propositio particularis, gratiæ interiori aliquo modo non resistitur, nullo modo est hæretica: aut certè assignandus aliquis certus resistentiæ modus, quem admitti postulet fides, quem tamen Jansenius repudiet.

Hoc posito, planum est Jansenianam propositionem, Deo operanti per gratiam, &c. damnatæ sensum non habere, nisi omne genus resistentiæ neget, & negatum ab Augustino contendat. Atqui supra vidimus, multum ab eo abesse, ut omnem neget resistentiam. Non ergo secundæ propositionis traditæ reus peragi potest, quod clariùs fortè & adstrictiùs potest hoc argumento confici.

ARGUMENTUM II.

NOn patitur æquitas, ut Jansenius qui pluribus locis certos resistentiæ modos admittit, repudiatæ penitus omnis resistentiæ ex eo arguatur, quod indefinitè alicubi dicat non resisti gratiæ: cum indefinita propositio ex tota scriptoris alicujus doctrina determinanda sit. Sed Jansenii locus à scriptore schedulæ allatus, damnatæ secundæ Propositioni æquivalens haberi non potest, nisi omne resistentiæ genus ab eo negatum intelligatur. Ergo non patitur æquitas, ut hic locus damnatæ Propositioni æquivalens habeatur.

Non minùs manifestum est secundum discrimen allatum. Qui enim dicit Deo operanti per gratiam, humanam voluntatem non posse resistere, non dicit gratiæ separatim sumptæ non posse resisti, sed gratiæ quasi instrumento divinæ voluntatis; quo nomine absolutam voluntatem intelligi, tota series hujus loci clamat. Hæc autem duo longè diversa sunt. Etsi enim gratiæ interiori verè & propriè resistatur, non tamen resistitur Deo operanti per gratiam; id est non impeditur quominus id efficiat Deus in voluntate quod absoluta voluntate decernit. Resistitur gratiæ, quia impeditur sæpe effectus ad quem incitabat, & respectu cujus posse quoddam largiebatur. Non resistitur Deo, quia ulteriorem illum effectum Deus voluntate absoluta non decreverat; sed tantum minorem quemdam quo gratia non privatur. Quid in hac doctrina culpari potest? Et tamen ut sic explicetur Jansenius, non vis ejus verbis afferenda; sed attentè solum legendus est integer ejus locus, & cum Augustini sententia, unde desumptus est, conferendus.

Iansenius tom. 3. lib. 2. cap. 24.

GRatiam Dei ita victricem statuit Augustinus, ut non raro dicat, hominem operanti Deo per gratiam, non posse resistere; sed è contrario, Deum non quidquid voluntatem facturam prævidet, sive abso-

Augustinus de corr. & gratia cap. 14.

DEo volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim qui faciunt

qua

quæ non vult, facit ipse quæ vult. Non est itaq; dubitandum voluntati Dei, qui in cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit, humanas voluntates NON POSSE RESISTERE *quominus faciat ipse quod vult.* lutè sive conditionatè, sed quidquid omnino voluerit, in voluntate operari, quam ipse magis habeat in suâ omnipotenti potestate, quàm ipsa voluntas se.

Si quis uberiorem hujus adversus Jansenium objectionis solutionem desiderat, reperiet in Pauli Irenæi Disquisitione 6. art. 3.

Pro Coronide sciscitari libet tam à Jesuitis, quàm à schedulæ scriptore, an existiment hæresim in secunda Propositione damnatam docuisse Petavium, dum sic loquitur Tom. 1. Dogm. Theol. lib. 9. cap. 15. n. 7. " Sanè quidquid adversus gratuitam electionem „ hujus generis ab adversariis opponitur, perinde contra illos procedit, qui efficacem „ gratiam & congruentem, ex peculiari Dei benevolentia certis hominibus attributam es- „ se sentiunt .... Non enim negare poterunt quin Deus quibusdam dumtaxat ho- „ minibus ac quibus placuit, tum ejusmodi gratiæ adminicula dare constituerit, quæ „ non modò certo, sed etiam sola effectum habitura cognosceret; tum perseverantiam „ ipsam, cui soli merces æterna tribuitur. Quod si nihilominus in electorum potestate „ situm esse salutis negotium acerrimè defendunt, quoniam decreti illius divini usus atque „ exitus libertati nostræ & consensioni illigatus est; quam non solum certissimè novit ac- „ cessuram Deus, sed etiam omnipotentissimâ sua voluntate & gratia, cui scit humanam „ voluntatem NON POSSE RESISTERE, sese illam non ab invitis, sed volentibus expressu- „ rum esse prævidit: cur non eadem & nos ex Augustini mente usurpare de electione ac „ prædestinatione salutis æternæ jure nostro poterimus? „

ARGUMENTUM III.

Quis sit verus in allato loco & similibus Iansenii sensus?

AD cujusvis scriptoris mentem & sensum non vanis suspicionibus, sed certis argumentis indagandum & definiendum, illud in primis spectandum est, quis sit illius scopus, & quid effectum velit. Nam ex illo proposito cætera per omne libri corpus sparsa, metienda & explicanda sunt, nisi aliquid obstet, id est, nisi certò pateat scriptorem studio contentionis elatum, ultra præstitutum sibi scopum esse provectum.

Jam verò qui Jansenium vel leviter libarit, dubitare non poterit, quin præcipuus illius scopus fuerit, Molinianæ gratiæ systema penitùs diruere, & aliud gratiæ genus suapte naturâ efficax hominibus ad omnes actus necessarium docere. Habet autem systema Molinianum varia dogmata ex eodem derivata Molinianæ gratiæ fonte. Nam, ut alia omittam, ista verba, *resistere gratiæ*, non eumdem in illorum, & in Thomistarum scriptis sensum habent.

Cum ergo capitalem illum Molinianæ gratiæ hostem Jansenium, resistentiam quamdam negare & repudiare videmus, unde sensum ejus meliùs eruemus quàm ex illo dogmate quod omnibus modis eversum & disturbatum tendit. Id enim profectò negat dum resisti gratiæ negat, quod Molinistæ affirmant dum resisti gratiæ profitentur.

Quid est autem quod affirmant, dum resisti gratiæ docent Molinistæ? hoc nempe, privari gratiam eo effectu quem in pariter affectis nunc habet, nunc non habet pro solo nutu voluntatis.

Quid

Quid negat igitur Jansenius, dum negat resisti gratiæ, certo scilicet modo? Negat nempe ita resisti, ut eo effectu spolietur quem in aliis habeat, in aliis non habeat, tametsi eodem modo affectis. At alios resistentiæ modos, quales admittunt Thomistæ, quorsum negaret? Quid enim habent illi ab ejus principiis & proposito abhorrens & dissonum? Fecit tamen, inquiunt. Respondeo probandum id, non asserendum. Interim nisi probetur, verba Jansenii ex ejus proposito & scopo de sola resistentiæ Molinianæ negatione interpretanda sunt.

Non libet in eo nunc immorari, quod latius alii persecuti sunt, cum Jansenius asserit Deo operanti per gratiam resisti non posse, vulgarem tantùm apud Thomistas doctrinam ab eo tradi, omnem scilicet gratiam ejus effectus semper compotem esse ad quem voluntate Dei absoluta dirigitur; quam sententiam sic exprimit Alvarez: *Idem auxilium quod est sufficiens comparatione alicujus actus perfecti, simul est efficax comparatione actuum imperfectorum qui perfectum actum regulariter antecedunt & ad illum ordinantur.*

Nec rectè refellitur hæc sententia eo argumento quo Jansenium petit schedulæ scriptor, scilicet etsi Augustinus asserat, *Deo volenti salvum facere nullum hominis arbitrium resistere, non inde sequi gratiæ non resisti; quia,* inquit, *non omnis gratia datur ex voluntate absoluta salvandi eum cui datur.* Quamvis enim omnis gratia ex voluntate absoluta salutis ejus cui confertur non profluat, semper tamen ex voluntate absoluta alicujus effectus fluit. Jansenius autem non affirmat nulli gratiæ resisti in effectu salutis, sed nulli gratiæ resisti in effectu per absolutam voluntatem intento; quod schedulæ scriptor inficiari nequit.

Quæres, utri majorem resistentiam admittant Jansenius, an Thomistæ?

Respondeo majorem & magis propriè dictam resistentiam à Jansenio admitti quàm à Thomistis.

1. Quia ex Thomistis, licet gratiæ efficaci possit resistere voluntas, nunquam tamen actu resistit, ne aucta quidem cupiditate. At ex Jansenio, gratiæ quæ efficax dicitur, dum cupiditate superior est, aucta cupiditate, reipsa resistitur.

2. Ex Thomistis, gratia sufficiens ne diminuta quidem cupiditate fit efficax, & sic nunquam ullo effectu spoliari potest quem aliquo casu aliquando habeat. At verò gratia excitans ejusmodi est apud Jansenium, ut imminuta cupiditate efficax fieri possit. Dum ergo ei renititur voluntas, illo eam privat effectu, quem certis casibus & certis conditionibus haberet. Unde certum & perspicuum argumentum ad hunc modum confici potest. Fidei sufficit ut ita gratiæ resisti dicatur quemadmodum Thomistæ docent. At Jansenius totam resistentiam Thomisticam & aliquid ampliùs admittit. Ergo fidei abundè satisfacit.

CAPUT V.

De tertiâ Propositione.

Referuntur & expenduntur quæ schedulæ scriptor super tertia Propositione in medium affert.

SCHEDULÆ SCRIPTOR.

TErtia Propositio similiter in terminis non extat. Termini qui proximè accedunt habentur lib. 6. de gratia Christi Salvatoris cap. 6. pag. 270. col. 1. lit. B. quod sola ne-

necessitas coactionis adimat libertatem; non necessitas illa simplex & voluntaria. Ubi licet istud non addatur, ad merendum & demerendum &c. tamen cum ex toto ipsius libri scopo, tum ex locis quibusdam particularibus satis ostenditur cum hoc sensu locutum esse.

Locus particularis est eodem libro cap. 24. p. 298. col. 1. lit. C. &c. ubi clarè significat se loqui de libertate quæ sufficiat, tum ut quis mereatur vel laudetur, tum ut actus in peccatum imputetur.

Quod Jansenium hac in re decepit, fuit quod hîc non notaverit, id quod tamen alibi notasse scribitur, nempè quòd Augustinus cum libertatem adversus Pelagianos defendit, non aliam necesse habuerit defendere quàm illam à coactione: cum Pelagiani tam essent insulsi, ut putarent ex gratiâ, quam defendebat Augustinus, resultare coactionem. Itaque malè ex Augustino intulit Jansenius non aliam requiri ad merendum & demerendum, quàm istam libertatem à coactione; cum Augustinus non dicat libertatem, quam alii oppugnabant & ipse defendebat, ad merendum & demerendum sufficere. Decepit quoque in D. Thoma, quod putarit loco suo ultimo citato, idem esse libertatem à coactione, & à necessitate; quæ tamen toto cœlo apud illum distant.

RESPONSIO.

NOn ignorat certè Schedulæ scriptor, eos qui Jansenium à tertiæ Propositionis invidia liberare studuerunt, quatuor præcipuè rationibus nisos.

1. Non esse fidei, in statu naturæ lapsæ ad merendum & demerendum Molinianam indifferentiam requiri, eam scilicet, qua præviis affectibus nihil mutatis, nunc in illam nunc in istam partem voluntas flectitur, aut saltem nunc agit, nunc ab actu cessat.

2. Solam à Jansenio indifferentiam Molinianam ab hoc naturæ lapsæ statu eliminatam, ut ex innumeris locis, & præsertim ex l. 8. c. 20. ad oculum patet.

3. Indifferentiam Thomisticam sensus divisi tanquam ab hoc naturæ lapsæ statu indivulsam, multoties admissam & præcipuè lib. 8. cap. 20. p. 872.

4. Quæstionem esse scholasticam & neutiquam à Summis Pontificibus definitam, An libertas ad merendum & demerendum necessaria, quæ ratione status hic indifferentiam Thomisticam perpetuò habet annexam, in alio statu qui cogitatione tantum percipi potest, posset omni indifferentia carere.

De hac quæstione quid senserit Jansenius, frustra requiritur: cum quidquid senserit in quæstione merè Philosophica, illæsa fide sentire potuerit.

Ad hæc capita cum totam quæstionem revocandam Schedulæ Scriptori perspectum esse debuerit, cur nullum ex istis attigerit, sensumque ipse suum super illis non exposuerit, mirum profectò, nec ad istam controversiam explicandam satis aptum.

At enim, inquit, *Jansenius lib. 8. de gratia Christi Salvatoris c. 6. docet, quod sola necessitas coactionis adimat libertatem. Et ejusdem libri cap. 24. clarè significat, se de ea libertate loqui quæ sufficiat ut quis mereatur vel laudetur, tum ut actus ad peccatum imputetur.*

Sed neuter locus quicquam facit ad 3. Propositionem damnatam Jansenio tribuendam.

Non qui ex cap. 6. desumptus est. Nihil enim in eo de libertate ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ necessaria.

Non alter ex c. 24. nihil enim hìc Jansenius asserit; disquirit tantùm quæ fuerit mens D. Thomæ circa libertatem (quod annotatum oportuit.) Quod ergo refert dixisse S. Thomam: *Impotentiâ coactionis; qua opponitur voluntario, tolli rationem meriti & demeriti, non impotentiâ quæ est ex perfectione in bonitate vel malitia: quia hæc voluntarium non tollit, sed ponit voluntatem confirmatam ad unum:* & alia quædam de genere hoc; nullius erroris peragi reus potest, si fideliter S. Thomæ verba retulit, nisi fortè hinc colligi voluerit, non tantùm vera hæc esse de libertate generatim sumpta, sed etiam de libertate hominibus in hoc statu naturæ lapsæ ad merendum & demerendum necessaria. At tantum abest ut quæ ex S. Thoma & aliis antiquis scholasticis de libertate coactionis expertè & necessitate naturali adduxit, in hoc statu naturæ lapsæ locum habere voluerit, ut contrarium asseruerit tanquam fide catholica tenendum, in hoc ipso libro de gratia Christi Salvatoris c. 34. *Hominum*, inquit, *viatorum* NON SOLUM COACTIONIS *expertem esse libertatem*, SED ETIAM NECESSITATIS IMMUTABILIS VOLUNTARIÆ, *hoc est, eam ad utrumlibet indifferentem esse, cum Scripturis, Augustino & Patribus*, ET CATHOLICA FIDE FATEMUR *perlibenter: sed in illa indifferentia sitam esse generaliter humani arbitrii libertatem, iidem Patres pernegarent.*

CAPUT VI.

De Quarta Propositione.

DE quarta Propositione quatenus hæreseos damnata est, prorsus hìc silet Schedulæ scriptor, verbulo contentus, quod obiter dum in secundæ examine versaretur, intexuerat; propterea scilicet Jansenio tributam esse, quia resisti posse gratiæ negat. Sed cum supra viderimus quàm id minimè probaverit, sequitur in hac quarta itidem ab eo nihil probari. De historico errore Jansenio tributo disputat his verbis.

SCHEDULÆ SCRIPTOR.

QUartæ Propositionis prima pars est historica, non exstat in terminis. Termini qui proximè accedunt ad totam Propositionem, exstant lib. 8. de hæresi Pelagiana cap. 6. p. 195. col. 2. lit. C. *In hoc ergo*, &c. Hallucinatio historica Jansenii potissimùm provenit ex malè intellecto S. Prospero, imprimis ubi is cap. 10. & alibi de Ingratis, sic recitat Semipelagianorum sententiam, ut videantur admisisse gratiam omnibus communem & inexistentem, qua crederent qui vellent; cum tamen S. Prosper Semipelagianis tantùm adscribat, illos posuisse gratiam, quæ quasi foris existens vocaret ad fidem parata, infundi cum jam homo credere inciperet. Deinde ubi Prosper & alii insinuant Semipelagianos attribuisse homini lapso arbitrium sic instructum, sicut habebat homo ante lapsum; quod revera Semipelagiani censuerunt. Sed multum hallucinatur Jansenius, cum putat Semipelagianos in primo homine admisisse gratiam internam necessariam ad credendum; cum contrarium manifestè testetur Hilarius Epistola ad Augustinum, dicens post medium: hanc fuisse Semipelagianorum sententiam circa primum hominem, quod scilicet acciperet gratiam cum jam vellet, bonum scilicet, sicut juxta ipsos homo lapsus eam accipit cum jam credit.

RES-

RESPONSIO.

AN revera Semipelagiani gratiam internam ad initium fidei & ad perſeverantiam admiſerint, hiſtorica quæſtio eſt ſatis obſcura; in qua tamen quædam capita planè certa ſunt.

Primum eſt, gratiam qua præveniri negabant humanas voluntates non eſſe gratiam quamlibet tam externam quàm internam, ſed gratiam efficacem, ex qua libertatis excidium, fatalem neceſſitatem & alia ejuſmodi monſtra metuebant, quæ nemo niſi planè fatuus à gratia interiori quidem, ſed quæ libero famuletur arbitrio, pertimeſcat.

Alterum eſt, gratiam illam cujus confeſſionem à Semipelagianis Auguſtinus, Proſper, imò Eccleſia flagitavit, non eſſe gratiam tantùm internam, ſed gratiam bonæ voluntatis effectricem, & qua boni voluntas efficaciter insereretur. Itaque admiſſa interiori gratia quæ ipſum velle non tribuat, ſed tantùm poteſtatem bene agendi largiatur, necdum à Semipelagiano errore receditur.

An verò Semipelagiani, dum gratiam efficacem repudiant, omnem præterea internam abjecerint, parvi momenti quæſtio eſt; quæ tamen, ſi quid effectum cupiebat, diligentiùs à Schedulæ ſcriptore tractari debuerat. Non enim uno argumento, uno Proſperi loco nititur Janſenius, ſed multis undique collatis argumentis & teſtimoniis, ex quorum comparatione illius quem laudat Proſperi loci ſenſus eruendus eſt. Generalem illam vocationem, quam à Semipelagianis invectam dicit Proſper, externam tantùm fuiſſe ſchedulæ ſcriptor putat, internam Janſenius. Utraque cum propoſito Semipelagianorum cohæret, prædeſtinationem gratuitam amoliri unicè tendentium. Nec ſanè ulla afferri poteſt vel probabilis cauſa, cur internam vocationem, modò libero arbitrio ſubjectam, repudiarint. Sed tamen quia nonnulli per incogitantiam longiùs nonnunquam provehuntur quàm capitalis dogmatis ratio poſtulet, fortaſſe dum gratiam efficacem ejectam cupiunt, omnem etiam internam abjecerunt. Sed id, ut dixi, ex diligenti collatione omnium locorum, quibus ſententiam ſuam expreſſerunt, dijudicandum; non ex uno aut altero Proſperi & Hilarii loco iiſque ambiguis definiendum.

CAPUT VII.

De quinta Propoſitione.

MOlliùs nonnihil ac indulgentiùs Schedulæ Scriptor in quinta Propoſitione verſatur. Janſenium enim hic non falſæ & hæreticæ doctrinæ, ſed tantùm temerariæ in catholicam ſententiam cenſuræ inſimulat: nec eum ab Auguſtino niſi in eo disjungit quod cum utrique & verbis & dogmate conſentiant, ac pro prædeſtinatis in æternum vivificandis mortuum Chriſtum, non pro cæteris pariter, affirment, catholicam de Chriſti pro omnibus morte ſententiam minimè damnavit Auguſtinus; damnavit autem, ſi fides eſt Schedulæ Scriptori, Janſenius. Verum hac qualicumque clementia nil prorſus Janſenius eget, ut jam videbimus. Interim juvat ipſa Schedulæ Scriptoris verba referre.

SCHEDULÆ SCRIPTOR.

Quinta Propositio in terminis non extat. Collecta videtur ex lib. 3. de gratia Christi Salvatoris cap. 20. pagina enim 164. col. 1. lit. A. dicitur: *Nec enim juxta doctrinam antiquorum pro omnibus omnino Christus passus aut mortuus est: aut pro omnibus omnino tam generaliter sanguinem fudit; cum hoc potiùs tanquam errorem doceant esse respuendum.* Et de prædestinatis mox adjungitur lib. 6. *Pro istis in æternum vivificandis mortuus est, non pro cæteris.* Quæ ultima verba fortè excusari possent, nisi intelligerentur eodem sensu quo prima, scilicet errorem esse aliud dicere, quàm quod Christus pro solis prædestinatis sit mortuus: adeò ut improbetur tanquam erronea ista sententia, quæ Christi mortem ad omnes omnino extendit. Dico excusari posse; quia revera & Augustinus & alii sic quandoque locuti sunt, & bono sensu dixere Christum pro solis prædestinatis esse mortuum; sed nunquam improbarunt Catholicum quoque aliorum sensum, juxta quem pro pluribus mortuus est.

RESPONSIO.

Aliquid affirmat Jansenius in loco à Scriptore allato, aliquid damnat: nec culpatur ab ipso in eo quod affirmat, sed tantum in eo quod damnat. Sed ut tota res planius perspiciatur annotare non ab re est, loqui Jansenium non de quacumque voluntate, sed de absoluta, ut ejus verba indicant: *Pro primi*, inquit, *generis hominibus tanquam pro veris ovibus vero populo suo* ABSOLUTE *salvando semetipsum dedit ac tradidit, non pro cæteris.* At verò hic locus sic intellectus doctrinam continet omnibus probatam. Quis enim unquam has sententias culpavit: Christus omnibus prædestinatis salutem sua morte promereri absolutè voluit: Christus nullius non prædestinati salutem absolutè voluit? Hæc dogmata non uni Jansenio propria sunt, sed omnibus gratiæ vel efficacis vel congruæ defensoribus competunt. Bene ergo quod illa nullius erroris accusat Scriptor Schedulæ. Sed quid hinc sequatur, attendere operæ pretium est.

Damnatio quintæ Propositionis duabus partibus constat. Prima, id quod examinandum Romam è Galliis missum fuerat, his verbis damnat: QUINTAM, Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum, aut sanguinem fudisse; *falsam, temerariam, scandalosam declaramus.*

Subjungit verò, quæ altera damnationis pars est: *Et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit; blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

Sed bene habet quod Schedulæ Scriptor ab hac hæreseos nota Jansenium absolvit. Agnoscit enim Jansenium non aliud circa mortem Christi pro prædestinatis sensisse, quàm quod sensit Augustinus: quem hæreseos damnatum à Pontifice profectò non dicet.

Quodnam ergo Scriptori Schedulæ crimen Jansenii, quod illi cum Augustino commune non fuerit? *Quod*, inquit, *Augustinus & alii bono sensu dixere Christum pro solis prædestinatis esse mortuum; sed nunquam improbarunt catholicum quoque aliorum sensum, juxta quem pro pluribus mortuus est*: quod Jansenium fecisse criminatur.

Videamus ergo quo pacto id probet. Non optima fide, ne quid dissimulem. Hunc enim tantùm locum affert ex lib. 3. de gratia Christi Salvatoris. cap. 20. *Non enim*

juxta

juxta doctrinam antiquorum pro omnibus omnino Christus passus & mortuus est, aut pro omnibus omnino TAM GENERALITER *sanguinem fudit, cum hoc potius tanquam errorem à fide abhorrentem doceant esse respuendum.*

Si Jansenii liber consulatur, nihil hac objectione vanius. Nam primò locus integer afferendus fuit, non mutilandus detractis iis quæ antecedunt, ne appareret quo sensu dixerit antiquos docuisse, errorem esse à fide abhorrentem, quod Christus pro omnibus omnino tam generaliter sanguinem fuderit.

2. Dissimulari non oportuit, nihil hic de suo Jansenium dicere, sed tantùm optima fide referri quod nono sæculo de ista quæstione à doctissima Lugdunensi Ecclesia & à diversis in Gallia Conciliis Valentino, Lingonensi, Tullensi, apud Saponarias, traditum & definitum fuit.

Hoc quidquid est, clarissimè demonstravit Paulus Irenæus, cujus locum exscribere non pigebit, ut vel inde magis pateat nihil adversus Jansenium afferri potuisse, quod non jam diû confutatum & obtritum sit.

Loca antiquorum exquibus hæc verba Jansenius mutuatur.

Ecclesia Lugdunensis. *Catholica fides tenet, & Scriptura Sancta veritas docet, quod pro omnibus credentibus, & per gratiam Baptismi ex aqua & Spiritu Sancto regeneratis, & Ecclesia incorporatis, verè Dominus & Salvator noster passus sit. De infidelibus eâdem constantiâ definit. Cesset hac nova & inaudita præsumptio, ut nullus hominum etiam impiorum & apud inferos irrevocabiliter damnatorum, fuerit, pro quo Christus passus non fuerit; cum pro solis illis defunctis passionem sustinuerit, qui eum, dum in corpore viveret, fideliter venturum, & mundum sua passione redempturum, crediderunt. Hoc itaque est Catholicum, hoc fidei Ecclesia ab initio commendatum.*

Locus Jansenii, tom. 3. lib. 3. cap. 20.

Ex quibus omnibus jam satis arbitror patere argumentum istud, quo Christus pro omnibus passus & mortuus est, vel, redemptionem se pro omnibus dedisse, dicitur, nihil omnino pro auxilio sufficienti suppeditando facere. Nec enim juxta doctrinam antiquorum pro omnibus omnino Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omnino tam generaliter sanguinem fudit: cum hoc potius tanquam errorem à fide abhorrentem doceant esse respuendum.

Et utramque partem iterum inferius tangens Ecclesia Lugdunensis, ac disputationem prolixiorem concludendo complectens: *Ex his igitur*, inquit, *diligenter ac fideliter consideratis, certissimè ac clarissimè ostenditur, pro omnibus fidelibus Christi, qui fuerunt, aut sunt, vel erunt, factam esse passionem Christi, pro corpore Christi immolari corpus Christi. De his verò, qui adhuc in infidelitate atque impietate detinentur, manifestum est ex hac Regula fidei, quod quicunque ex ipsis per Dei gratiam fuerint ad fidem conversi & in Christo regenerati, etiam pro ipsis confitendum sit factum esse, quod pro omnibus fidelibus factum constat. De cæteris verò, qui in ipsa impietate suâ perseverantes sunt perituri, si de Scriptura Sacra auctoritate quod etiam pro talibus Dominus passus sit, certissimis & clarissimis testimoniis nobis demonstrare potuerint boni viri qui talia definierunt, dignum omnino est, ut credamus & nos. Si verò non potuerint, cessent contendere pro eo quod non legunt, pudeat eos definire quod nesciunt, timeant statuere quod nullum Sanctorum Patrum, nullum Concilium, nullum Apostolicæ sedis Pontificum, nullum Ecclesiasticorum dogmatum decretum, hactenus inveniant statuisse.*

Et Concilium Valentinum, cap. 4. *De redemptione Sanguinis* CHRISTI, *propter nimium errorem qui de hac causa exortus est, ita ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis, qui à mundi exordio usque ad Passionem Domini in sua impietate mortui, & æterna damnatione puniti sunt, effusum definiant, contra illud Propheticum: Ero mors tua, ô mors; ero morsus tuus, inferne: illud nobis simpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet juxta Evangelicam & apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, quibus ipse Dominus noster dixit: Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Qui neget Jansenii verba è Patribus sumpta, non stultus, sed planè cæcus sit. Hinc ejusmodi demonstratio conficitur:

ARGUMENTUM PRIMUM.

EX solis Patrum verbis nemo argui potest, scandalosam & falsam circa mortem CHRISTI doctrinam docuisse, ex tertio principio. Sed hic Jansenii locus verbis Patrum totus constat, ut inspicienti patet. Ergo ex illo non potest argui, falsam tradidisse doctrinam; quod erat demonstrandum.

Sensum autem solita methodo tuentur Jansenii defensores. Ambigua, ut multum, aiunt, esse Jansenii verba. Boni enim sensus capacia sunt si sic explicentur: CHRISTUM non habuisse voluntatem absolutam promerendi per mortem suam omnibus reprobis gratias sufficientes Molinianas aut efficaces, quibus ab æterno interitu liberari actu & effectivè possent.

Falsum habebunt sensum, si, quovis modo explicatum, de omnibus omninò hominibus istam sententiam: CHRISTUS *pro omnibus mortuus est*, erroneam esse statuat.

Atqui, inquiunt, bono & Catholico sensu sua verba interpretatus est ipse Jansenius. Primùm enim aperit quid intelligat per illa verba: *pro aliquo mori, & sanguinem fundere. Pro aliquo mortuum esse*, inquit eodem capite, *insinuat voluntatem* CHRISTI, *quam habet, ut ei mors sua Patri oblata & sanguis prosit.* Et clariùs ibidem: *Esse passum, crucifixum, mortuum, se redemptionem dedisse, vel propitiatorem esse pro omnibus, plus aliquid dicit, quàm nudè pretium sufficiens obtulisse pro iis. Illud enim indicat intentione morientis pretium pro illis oblatum esse, ut ejus oblatione placatus Pater eos reipsa de servitute liberaret, non sub ista conditione, si ipsi velint, qui, nisi Deo donante, non possunt sed ut velint & credant potenter in eorum voluntatibus operando.*

Voluntatem autem illam CHRISTI, quam requirit, ut pro aliquibus mortuus esse dicatur, significat esse veram & absolutam, ut patet 1. ex remotione conditionis: Si & ipsi velint. 2. Quia sic se ipse interpretatur: *Pro veris ovibus, vero populo suo absolutè salvando, semetipsum dedit ac tradidit.* Et infrà: *Ipsorum liberationem à massa perditionis & salutem* ABSOLUTE VOLUIT. 3. Quia, cum generatim nominatur voluntas, intelligitur absoluta. Hinc generalis Theologorum sententia: CHRISTUM nihil inaniter voluisse, nihil inaniter orasse; quod ita apud Theologos certum, ut inter errores à Facultate Parisiensi damnatos, qui in calce Magistri sententiarum recensentur, relata sit hæc propositio: *Quod satis erat possibile, quod per voluntatem aut volitionem creatam* CHRISTUS *aliquid voluit, quod nunquam debuit evenire.*

Sufficiens autem illa gratia, quam negat omnibus esse collatam, est Moliniana; quia

quia initio hujus libri hoc sensu verbum istud semper se usurpaturum esse, professus est. Hoc posito ita demonstratio concluditur.

ARGUMENTUM II.

HÆc propositio : CHRISTUS *non est mortuus pro omnibus omnino hominibus, cum intentione & voluntate absoluta, ut eis mors sua prosit; ut ejus oblatione placatus Pater eos reipsa de servitute liberaret, potenter in eorum cordibus voluntatem ipsam operando, vel ut eis largiretur gratias sufficientes, quæ nihil aliud ad agendum requirerent.* Hæc propositio, inquam, est orthodoxa ex suppositis principiis initio hujus articuli. Sed hæc propositio continet verum sensum loci Janseniani, utpote expositione vocum ab ipso Jansenio factâ tota constans, per * octavum Principium. Ergo verba ejus, ut multum ambigua, hoc sensu orthodoxo sunt interpretanda. Quod erat demonstrandum.

ARGUMENTUM III.

MAlus sensus, qui cadere in hæc verba poterat, ejusmodi est : *Quocumque sensu erroneum est dicere,* CHRISTUM *pro omnibus omnino hominibus mortuum esse.* Hunc sensum amovet Jansenius cum Prosperi expositionem, qua CHRISTUS dicitur mortuus pro omnibus quantum ad potentiam pretii sive sufficientiam, non autem quantum ad applicationem & efficientiam; etsi Augustinianis expositionibus minùs appositam sentiat, tamen ut catholicam & orthodoxam, & Semipelagianis oppositam, esse testetur. Nam hanc ipsam Prosperi doctrinam allaturus, hoc præmittit: *Fabricarunt*, inquit ibidem, *Massilienses, adversùs rigidum illud & peculiare propositum Dei, quandam generalem & indifferentem erga universos voluntatem : deinde ex illa sufficientem omnibus gratiam derivarunt. Quare nihil mirum est, si iisdem verbis idem proponamus antidotum, hoc est, si iisdem argumentis, quibus Massilienses usi sunt, easdem Augustini & Prosperi solutiones opponamus.* Et continuo ab illa ipsa Prosperi solutione orditur, ad omnes homines pertinente. Ergo, cum nihil absurdius sit, quàm Prosperum à Jansenio Semipelagianum habitum esse, & Prosperi solutionem, quam ipse Semipelagianis opponit, Semipelagiano errore infectam, patet Jansenium non omnes istius loci expositiones, ad omnes homines pertinentes, erroris Semipelagiani damnavisse.

A

APPENDIX
AD
DISQUISITIONEM VIRI ERUDITI.

Enucleatio Capitis 13. *lib.* 3. *de gratia Christi apud Jansenium.*

Nihil me opportunius, ad primam Propositionem luce suâ perfundendam, facturum esse existimo, quàm si caput illud 13. libri 3. de gratia Christi, è quo decerpta est, anatomicè dissecuero.

Contendit hic vir magnus diluere argumenta duo, quæ ostentantur pro gratia sufficiente Molinisticâ, quorum primum est: quod *Deus non jubet impossibilia; ergo dat*
3. *omnibus sufficiens auxilium ad ea facienda quæ jubet.* Respondet Jansenius, sententiam illam, *quâ, dicitur Deum non jubere id quod homini est impossibile, nunquam sic intellexisse Augustinum, ut Deus non possit homini præcipere id quod propriis viribus suis implere non potest: sed solùm, quod ita impossibile est, ut neque propriis, neque alienis viribus, si illas in auxilium advocaverit, possit implere. Unde sæpe numero ex professo docet, Deum jubere quædam quæ non potest homo facere, ipsumque auxilium suum subtrahere, non ut desperet homo, sed ut faciendi vires & auxilium, quibus se carere sentit, sibi imploranda esse doceatur.*

Quod accuratè deinceps probat his ex Augustino advocatis testimoniis. *Itaque præcepto facere commonemur, quod conantes & nostris viribus non valentes adjutorium divinum precemur. Non igitur Deus impossibilia jubet; sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod* NON POSSIS. *Ideo enim jubet, ut admoneat, quid faciat fides, ut cui jubetur,* SI NONDUM POTEST, *sciat quid petat: si autem continuo potest, & obedienter facit, debet etiam scire quo donante potest.* Et iterum: *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri.* Quomodo retundit telum istud Augustinus? *Quis hoc nesciat? Sed jubet aliqua quæ* NON POSSUMUS, *ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides quæ orando impetrat quod lex imperat.*

4. Hinc primò infert Jansenius: *Esse quædam homini præcepta, secundùm statum & vires, in quibus constitutus est, impossibilia. Hoc enim non solùm ista loca exsertè profitentur, dum dicunt Deum aliqua jubere quæ* NON POSSUMUS, *sed etiam ipsa oratio quâ petimus, ut possimus, perspicua attestatione confirmat. Si enim jam possumus, ad quid petimus, ut possimus?*

Hîc velim accuratè expendi verba illa: *Secundùm statum & vires in quibus constitutus est.* E quibus liquidò patet, nequaquam negari à Jansenio impossibilitatem absolutam, qualem somniarunt heterodoxi, sed impossibilitatem ex parte potentiæ di-
5. vino adjutorio forti satis ac valido destitutæ.

Colligit secundò: *Non adesse semper gratiam quâ possumus, hoc est quâ illa eadem præcepta implere sufficiamus. Si enim jam adest gratia quâ præcepta implere sufficientes simus, & possimus, stultum est orando satagere ut possimus. Nam quid stultius, ut Augustinus ait, quam orare ut possis id, quod jam habes in tua potestate?* MENDACITER ENIM PETUN-

TUR,

TUR, *inquit*, *si ea quæ præcepta sunt* NON ADJUVANTE EJUS GRATIA FACERE POSSIMUS. Nihil hîc habeo, quod attexam.

Tertio statuit, *hanc impotentiam reperiri non solùm in excæcatis, & obduratis, & infidelibus, de quibus nunquam vel Augustinus, vel Ecclesia, sed solùm Scholastici nonnulli ex humanis rationibus dubitarunt, sed etiam fidelibus & justis, qui & fidem* CHRISTI, *& charitatem justitiæ susceperunt.* Aveo intendi in verbum *impotentia*, quod non aversatur, imò quod probat Lovaniensis Theologus. Nam de Jansenio loquens ait: "Inde vir „ doctus (Jansenius) colligere poterat aliud S. Doctori (Augustino) esse, *aliquid ju-* „ *stum non posse*; aliud, idem illi *impossibile esse*: alterum quippe concedit Augusti- „ nus, alterum negat. Et merito: nam quod hac voce importatur, *quod non possis*, „ id ex parte potentiæ se tenet, notatque solum defectum cujusdam auxilii, quo non- „ dum illa est instructa: unde non *impossibilitas*, sed *impotentia* dicenda foret." Porrò ex iis quæ consequuntur, evidenti evidentius est, hanc vocem, *impotentia*, apud Jansenium eodem plane sensu usurpari, seu, ut habet Philosophia, converti cum voce, *impossibilitas*.

Nam quartum consequens eliciens, cum dixisset in tertio, *hanc impotentiam*, themate variato asserit, *hanc impossibilitatem fidelibus accidere, non tantùm quando nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt.* Quòd variis assignatis in Augustino locis demonstrat, verbi gratiâ: *Nec tamen cum vult continuò potest; sed cum fuerit adhibita curatione sanatus, & medicina adjuverit voluntatem. Sub quibus pœnis positi vel* NON POSSUMUS, *quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus* VOLUMUS, NEC VALEMUS IMPLERE. *Volo ut velis; sed non sufficit, ut velis :- adjuvandus es ut plenè velis, & impleas quod velis.* Cujus fundamentum magnificum indigitans infit: *Illa est enim pœna justissima, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire quod rectum sit; & qui rectè facere cum posset noluit, amittat* POSSE CUM VELIT.

Dein justificare volens *impossibilitatis* vocabulum, producit loca Augustini & Prosperi, de *muro* & *vinculis impossibilitatis*, à viro erudito adversus Theologum vindicata. Sed miror & à viro erudito & à Theologo prætermissam citationem alteram Prosperi omni metaphorica adjectione nudam, quâ dicit eos, qui *priusquam à dominatione peccati per gratiam liberarentur, suam volebant justitiam constituere ignorantes Dei justitiam, humiliatos per experimenta* IMPOSSIBILITATIS SUÆ, *& invenisse se sine Dei adjutorio nihil posse.* Ubi clarum est, à Prospero verba IMPOSSIBILITATIS, & NON POSSE eâdem disertè intelligentiâ proferri.

Post hæc prædicat Jansenius exemplum Petri, *qui, cum se pro Christo moriturum pollicitus esset, propter defectum virium voluntatis præstare non potuit quod promiserat. Voluntas enim ejus*, ait sapientissimus Præsul, *hoc est vis volendi divinitus ei data, adhuc parva erat, quam oportebat esse maximam, ne mortis oblatæ Terrore frangeretur.* Quod confirmat magistri sui testimonio: *Quamvis parva & imperfecta (Charitas) non deerat Petro, quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam; putabat enim se posse, quod se velle sentiebat.*

In sequentibus perstringit Pelagianos, & Scholasticos quosdam nimium concedentes infirmæ voluntati, quòd *neutri videant non esse satis velle vel nolle, ut magna quædam præcepta impleantur tentationesque superentur; sed propter libidinum internarum, & consuetudinum arctissimarum pertinacem resistentiam, opus esse ut ardenter & fortiter velit, quòd non est semper in hominis potestate. Talis enim ardor vel fortitudo voluntatis, non ex sola libertate hominis proficiscitur, aut haberi potest, sed ex delectationis*

magnitudine, quam animus ex objecto circa quod versatur capit, atque ideo cælitus inspirari debet. Quòd his Augustini locis præclarè probat: *Ad nonnulla superanda quæ vel malè cupiuntur, vel malè metuuntur,* MAGNIS *aliquando & totis viribus opus est voluntatis. Fieret enim perfecta justitia, si* TANTA *voluntas adhiberetur,* QUANTA *sufficit tantæ rei. Esset autem tanta, si & nihil eorum, quæ pertinent ad justitiam, nos lateret, & ea sic delectarent animum, ut quidquid alind voluptas sive dolor impedit, delectatio illa superaret. Quod ut sit, non ad impossibilitatem, sed ad judicium Dei pertinet.* Quæ verba commentario suo illustrans Jansenius: *Hoc est*, inquit, *non judicat illud opus justitiæ esse* PRORSUS IMPOSSIBILE, *sed opus esse gratiâ Dei, quæ ex judicio Dei profundo distribuitur, per quam magnitudo* TANTÆ *voluntatis,* QUANTA *sufficit, & operis justi* POSSIBILITAS *datur*; possibilitas utique proxima & completa, quæ omnia ad agendum complectitur necessaria, & ab ipso actu non separatur. En apertissimè repudiatam à Jansenio impossibilitatem omnimodam, sive eam quæ se tenet ex parte objecti, illamque solam adstructam, quæ profluit ex absentiâ gratiæ Dei, *per quam magnitudo tantæ voluntatis, quanta sufficit, & operis justi* POSSIBILITAS DATUR. Quod deinceps velut ad nauseam stabilit his petitis ex Augustino locis: *Per gratiam fit, ut sit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas quæ jam esse cœpit, augeatur, &* TAM MAGNA *fiat,* ut POSSIT *implere divina mandata quæ voluerit, cum* VALDE PERFECTEQUE *voluerit. Ad hoc enim valet quod scriptum est: Si volueris, conservabis mandata; ut homo qui voluerit, &* NON POTUERIT, *nondum se* PLENE *velle cognoscat. Certum est enim nos mandata servare si volumus, sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, ut* TANTUM VELIMUS, QUANTUM SUFFICIT, UT VOLENDO FACIAMUS. *Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus bonum &c. Certum est nos facere cum facimus; sed ille facit ut faciamus, præbendo* VIRES EFFICACISSIMAS *voluntati. Qui ergo vult facere Dei mandatum, &* NON POTEST, *jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc* PARVAM & INVALIDAM; POTERIT *autem cum* MAGNAM *habuerit &* ROBUSTAM.

Ex quibus omnibus jam luculentissima veritate claret, quo sensu, quâ notione, quo intellectu intulerit tantis scissam clamoribus propositionem: *Hæc igitur omnia plenissimè planissimèque demonstrant, nihil esse in S. Augustini doctrinâ certius ac fundatius, quàm esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus, excæcatis, & obduratis, sed fidelibus quoque, & justis, volentibus & conantibus secundùm præsentes quas habent vires sunt impossibilia, deesse quoque gratiam, quâ fiant possibilia.* Ne enim sententiæ isti vel minima obscuritatis nebula affundi posset, *Hoc enim* (prosequitur) *S. Petri exemplo aliisque multis quotidie manifestum esse, qui tentantur ultra quàm possint sustinere: nec illam implendi talia præcepta difficultatem inde proficisci, quod actus implendi debeat esse supernaturalis, vel meritorius, vel aliquid simile, quæ Augustino nunquam in mentem venerunt; sed ex eo quod vires voluntatis infirmæ sunt propter concupiscentiam à volendo bono retrahentem, cujus renisu fit, ut vires voluntatis distrahantur, atque ita homo non plenè velit, non integrè velit, non tota voluntate velit. Talem autem voluntatem non esse idoneam ut superet alteram vetustate roboratam, quia per illam nondum potest homo tantum velle, quantum sufficit ut volendo faciat: poterit autem cùm habuerit magnam & robustam. Hanc verò sibi tribuere, non esse potestatis humanæ, sed solius gratiæ Dei, quam propterea assiduè ex fide invocamus: ut si fortè tentari cœperimus à concupiscentia nostrâ, adjutorio ejus non deseramur, ut in eo possimus vincere, ne abstrahamur illecti. Nam postquam semel homo in peccatum præcipitatus est, vitium quoddam volendi sua volun-*

lun-

luntate contraxit, ubi amissis viribus, non ea, quâ vulneratus est, voluntatis seu volendi facilitate sanatur. Ad hanc igitur sanitatem voluntatis assequendam, ut (quemadmodum subinde necessarium est) fortiter, plenè, atque integrè velle possimus, repugnantesque libidinis, seu contraria voluntatis motus vincere, gratiam invocamus, hoc ipso clarissimâ voce profitentes, deesse nobis sufficientem ad illa præcepta facienda potestatem.

Quid est in hac doctrina universa, tam solidè stabilitâ, tam dilucidè explicatâ, tam splendidè diductâ, quod tantam viro magno invidiam conflare potuit, & universam mundi machinam immanissimis dissentionibus commovere? Si hæc non fuerint panica, aut pejora panicis, nihil capio. Quidquid sit, manifestè conficitur, omnem quæstionis hujus, & commotissimarum turbarum harum cardinem verti in æquivocatione, vel duritie vocis IMPOSSIBILE, quam quâ notitiâ Jansenius usurparit, voluntariè cæcus sit qui non videat, & tam præfractè cæcus, ut verè impossibile sit, cum talibus disputatoribus inter amæna musarum vireta cum voluptate disserere.

At, inquit Lovaniensis Theologus, *Tridentinum disertè vetat, quemquam eâ voce uti.* Pace illius dixerim, cum dormitante Homero videtur legisse Concilium. Hæc sunt Concilii verba: *Nemo autem, quamvis justificatus, liberum se ab observatione mandatorum putare debet, nemo temerariâ illa & à Patribus sub anathemate prohibitâ voce uti, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia:* ubi vocabulum illud, VOCE, non solam vocem *impossibilia* designat; sed hanc totam periodum, *Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia:* perinde enim est, atque si dixisset Concilium, *nemo debet temerario illo & à Patribus sub anathemate prohibito* SERMONE *uti.* Not.

Interdicta igitur dumtaxat à Tridentinâ Synodo hæc generalis sectariorum assertio, *Præcepta Dei homini justificato esse ad observandum impossibilia*; non penitus ablatum ab omni Catholicorum usu vocabulum, *impossibile*, etiam intuitu mandatorum Dei. Quid enim si quis edicat, *naturæ viribus esse impossibilia homini præcepta Dei*, ut post Concilium Tridentinum asseruit magnum Lovaniensis & Duacenæ Academiæ decus eruditissimus Estius? Quid si quis edicat, præcepta Dei esse impossibilia servatu per solam fidem? Quid si quis edicat esse impossibilia servatu sine gratia CHRISTI? An continuò impinget in Concilium Tridentinum? Quæ autem tanta disparitas est inter hæc duo: Impossibile est præcepta Dei implere sine gratia CHRISTI; &, Impossibile est quædam præcepta Dei magna, quæ magnâ & robusta gratiâ opus habent, implere per gratiam infirmam, quæ tantas vires non impertit; vel, Quædam præcepta Dei magna per vires gratiæ languidas & invalidas sunt servatu impossibilia? Attamen hoc est universum, quod Jansenius asseveravit. In l dist

Ratio autem cur hæ posteriores Propositiones non tam malè tinniant, quàm prima illa generalis, quam Tridentinum proscripsit, cuilibet perspicua est: quod videlicet ubi generatim sine restrictione dicitur, *Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia*, insinuetur impossibilitas absoluta, vel impossibilitas ex parte objecti, ut rectè advertit Theologus; cùm verò præcepta dicuntur impossibilia sine gratiâ, significetur defectus ex parte virium, *seu*, ut ipse ait, *cujusdam auxilii quo nondum potentia seu voluntas instructa est.* No

Hinc ergo deducitur, quàm imprudenter, ne quid gravius dicam, in tantum virum efferat declamationes suas: *Ita ut satis concipi non possit, quid passus sit Jansenius, ubi voce illâ, non minus disertè, quàm Tridentinum vetuerat, sibi utendum putavit.* Ib

At fortè, dices (inquit) in sacra antiquitate eam vocem reperit. Esto, reperisset, videndum ei erat, quid ferret hodiernus Ecclesiæ usus.

Non abstulit, ut jam demonstratum est, illam vocem, nec auferre potest Ecclesiæ usus, quam Salvator ipsius, ejusdemque Apostoli sacrosanctam & canonicam in locutione non dispari reddiderunt. Non cito loca, quòd Theologo explorata sint. *Verum*, ait confidentissimè, *nec eâ voce, quâ utitur Jansenius, usa est unquam antiquitas.* Vanitatem illam jam confregit vir eruditus, & ubi allatis responderit, nos etiam uberius conteremus.

Ex his, opinor, evanescunt Thrasonismi illi, quibus jactitat, *sufficienter ostensum, quærendum non esse, quis sit in hac prima Propositione sensus Jansenii, ad hoc ut justè damnari potuerit: quia nempe nullus est istius propositionis sensus proprius, qui damnari non debeat, & jam pridem (ut post Trid. notat Pontifex in censura) sub anathemate damnatus non sit.* Apertissimæ quippe veritatis est, ut comprobavimus, esse in Jansenio propositionis illius sensum verum ac perspicuum, qui damnari non possit, nisi tota doctrina gratiæ per se efficacis, & authoritas Augustini, summorumque Pontificum Augustini libros deprædicantium, in fumos eat, percussoque Jansenio, ovet Semipelagiana ac Moliniana justitia, & remigio libertatis ad atria beatorum & sedes æternas convolet.

Non penetro subtile discrimen Theologi, quo se discernit à Jansenio per suam gratiam Thomisticè, hoc est, verbotenus dumtaxat sufficientem. Nam cum hanc consistere dicat in actualibus justorum gratiis inefficacibus, tantum abest, ut illas repellat Jansenius, ut contra in ipsâ litiogiosâ propositione easdem disertissimè astruat, dum conatus & vires illas debiles & invalidas, non sine gratia actuali exeri manifestò sentit. Hinc & allegato per Theologum Lovaniensem capite, cùm tertium modum possibilitatis assignat, adducit peremptorium illum in hac causâ Augustini locum: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam. Poterit autem, cum magnam habuerit & robustam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc est, magna charitate fecerunt.* Quæ non de robore habituali tantùm, sed de voluntatibus seu volitionibus infirmis actualibus asseri, nemo nisi in Augustino & Jansenio perquam imperitus inficias ierit. En igitur Theologum nostrum eâdem navi cum Jansenio, quidquid reluctetur, euntem. Nullum enim aliud posse, nullam agendi proximam facultatem, nullum adjutorium plenè sufficiens, apertissimè removet, quàm quod ille,

3. *gratiæ scilicet per se efficacis, quâ ipsa mandatorum impletio detur, & sine quâ nunquam hæc impleantur.* Audite enim mirificam viri incomparabilis cum actore improvido consonantiam. *Quarto itaque*, ait Jansenius, *completissimè dicimur posse, quan-*

4. *do S. Spiritus inspiratione sic voluntas præparatur, ut non nudè possit, sed etiam velit. Tali gratia non solùm posse, sed etiam ipsum agere adjuvatur. Dat enim non solùm posse si velis, sed & velle quod potes.*

Animadvertenda sunt vocabula, IPSUM AGERE ADJUVATUR, *dat enim non solum posse* SI VELIS; quibus & actionem animæ debilem, & volitionem infirmam adjuvari, confirmari, & ad plenum posse (quod ab actu sejunctum non est) perduci, secundum totius libri principia clarissimè instillatur. Unde & præcedente paragrapho agens de tertio possibilitatis modo, quem ad gratiam habitualem perperam retorquet Theologus, securè Jansenius enunciarat: *Voluntas enim*, seu, ut ibidem variat, *volitio bona, initio* INFIRMA EST, *paulatimque gratiâ Dei abundantiùs affusâ instar*

instar arboris crescit, donec eo usque virium adolescat, ut cuncta invitantia, cuncta minantia, cuncta cruciantia superentur.

Ventos igitur, se *intrepidè à Jansenio discernendo*, ferit Theologus, nisi doctrinam gratiæ per se efficacis, quam tamen (credite posteri) *ad mortem defendere certum est illi*, maturè ejuret, &, præcisionibus istis methaphysicis abdicatis, triumphales Molinianorum agat currus, adeòque exhibitis auspiciis hactenus, supremâque jam pompâ celebratis disputationibus, postremam ponat coronidem.

Ut igitur caput hoc peremptoria adversus Theologum decisione claudam, concedimus plenis velis, quod ambit, damnatam scilicet Propositionem primam à Pontifice eo sensu quem in Luthero, Calvino, Philippo Melancthone perculit Tridentina Synodus. Tenebrionum horum hic erat sensus: *Æque nobis impossibilia esse omnia præcepta, atque illud*, NON CONCUPISCES. *Omnia opera hominis justi esse peccata mortalia. Nullum à sanctis exire posse opus bonum, quod non mereatur justam opprobrii mercedem. Omnia hominum, quantumvis laudabilia opera, planè vitiosa esse, & morte digna peccata.* Impossibilitas verò mandatorum Dei, de qua Jansenius, toto cælo diversa est, hoc est, non absoluta, & simplex, sed conditionata, ac *præsentium dumtaxat virium*, quæ non naturæ quidem arbitrio, at divinâ ope ad majus robur, & ipsam actualem præceptorum impletionem perduci possunt, & in multis perducuntur. Hinc conficio, cum eo intellectu, *à Pontifice in censura*, quo à Tridentino Concilio percussa sit Propositio de impossibilitate præceptorum Dei, non esse percussam in sensu Jansenii, qui immane quantum distat à sensu istorum Ecclesiæ Catholicæ perduellium. Eat jam, & ipse Magnificus Judex statuat, quâ pœna dignus sit, qui virum integerrimum, & mastigen istarum pestium gloriosum, post scripta tam luculenta & perspicua earumdem gregi impio inserere non perhorruit.

Enucleatio capitis ultimi lib. 3. de gratia Christi apud Iansenium.

TOta disputatio circa Propositionem quintam reduci debet ad significationem harum phrasium: *pro aliquo mori, pro aliquo sanguinem fundere, pro aliquo redemptionem dare.* Arbitratur Jansenius, quod *ista phrasis, quâ quis dicitur se pro aliquo redemptionem dare, præ se ferre videatur redemptionem ex redimentis animo in usum ac liberationem captivorum offerri ac dirigi.* Et iterum: *pro aliquo mortuum esse, vel fudisse sanguinem suum, insinuat voluntatem Christi, quam habet, ut ei mors sua Patri oblata, & sanguis prosit.* Nihil naturali lumini, & ideis genuinis istarum phrasium magis consonum. Subsumit utrobique Jansenius: Atqui *oblatio ac directio illa Christi inanis esse non potest.* Et iterum ipsis Augustini verbis: *Omnipotens autem velle inaniter non potest, quodcumque voluerit.* Neque illud subsumptum Theologus (ut opinor) repudiabit. Infert: *Proderit ergo illi necessariò Christi sanguis & mors, pro quo sanguinem illum fuderit & mortuus fuerit; & cui nullo modo prodest, pro illo nec sanguinem fudit, nec mortuus fuit. Eatenus autem prodest, quatenus prodesse voluit, qui aliquid inaniter velle non potuit, ut credat quidem, vel justificetur, vel ut perseveret, atque salvetur, si pro illo ut credat, vel justificetur, vel ut perseveret atque salvetur mortuus fuerit.* Hæc mihi videntur adamantinis nexibus cohærere. Atque hinc etiam indivulsè sequitur, quod incassum vice criminis objectat Theologus, *Nullo modo principiis Augustini, nec veritati consentaneum esse, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æterna salute mortuus esse, sanguinem fu-*

dixisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem orasse sentiatur. Cum enim non possit esse inanis oblatio mortis, & propitiationis & orationis Christi, qui de seipso dicit : EGO SCIEBAM QUIA SEMPER ME AUDIS; *& Apostolus Paulus, quod* EXAUDITUS EST PRO SUA REVERENTIA; *fieri quoque non potest, ut pro quo sanguinem fuderit & rogaverit Patrem suum,* EAM OB CAUSAM, *ut sanguis suus propitiatio peccatorum ejus fieret, non assequatur istius mortis, & propitiationis, & deprecationis effectum.*

Jam excutiamus cavillos & aberrationes Theologi. In primis ait Jansenium, relatâ paragrapho 3. Prosperi sententiâ, eandem satis *fastidiosè submovere* paragrapho sequenti. In quo effato candor illius & sinceritas desiderantur. Adeant assignatos paragraphos qui volent, & comperient, summâ, quâ licet, modestiâ Jansenium submovere sententiam Prosperi, ut Augustini potiorem, innatisque notionibus ac normæ loquendi magis consentientem sufficiat. Verùm ut misellæ accusationi fucum coloris adderet, fingit Jansenium *post plures verborum anfractus eo venire, ut paragraphis* QUAPROPTER, *&,* ET QUIBUS, *non obscurè insinuet, eandem per Concilium Valentinum, aliosque antiquos, longè esse rejectam. Unde paragrapho,* SED QUIA, *Jansenium resolvere:* "Cum Prospero antiquior ac doctior Augustinus nunquam in scriptis „ suis fateatur, Christum pro omnibus, nullo excepto, se dedisse redemptionem, vel „ crucifixum esse, vel mortuum, sed tantummodo pro illis quibus mors ejus profuit, qui „ certo modo multi, & omnes sunt, hinc genuinius veriusque respondemus &c. Hæc omnia commentitia sunt, & oscitantiam vel malam fidem Theologi non obscure produnt. Nam paragraphus, SED QUIA, anterior est paragraphis, QUAPROPTER, & ET QUIBUS; imò est ipsissimus paragraphus quartus, quem supra *sequentem* appellavit. In paragraphis autem illis, QUAPROPTER, &, ET QUIBUS, qui sunt septimus & octavus, quin & duobus interjacentibus, videlicet quinto & sexto, de Prospero aut ejus explicatione nihil amplius agitur; absit, ut illi infamem hæreseos notam affricare Jansenius Sanctorum Patrum observantissimus moliatur.

Sed mira nobis deinceps ex Apollinis tripode oracula Theologus fundit. Contendit sententiam Prosperi, relegatâ Augustini, ab Ecclesia (si fas ita loqui) canonizatam. *Atqui tamen illa Prosperi,* inquit, *est sententia ac via, quam Ecclesia jam pridem amplexa est, ita ut Jansenio liberum non fuerit illâ rejectâ aliam hodie inire.* Cætera vana, temeraria, & dicis causâ à Theologo compilata transiliens, festino ad probationes hujus paradoxi. Has invehit nota decimâ. "Atque nunc superest (ait) ut videamus, Ec- „ clesiam Christi his temporibus ita amplexam esse hanc Prosperi viam, ut meritò cen- „ seri debeat illam fecisse *suam.*" Tenemus oculos intenti & ora. "Concilium Tridenti- „ num (pergit) sess. 6. agens ex professo de justificatione atque adeo cap. 6. (lege 2.) „ *de dispensatione & mysterio Adventus Christi,* disertè ex Apostolo ita caput istud finie- „ rat : *Hunc proposuit Deus* (Jesum Christum) *propitiatorem per fidem in sanguine ipsius* „ *pro peccatis nostris, non solùm autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.* Ne au- „ tem dubitare quis posset, quo sensu id intelligeret, nempe an pro singulis generum, „ ut vocant, an verò pro generibus singulorum tantùm, mox ipso capitis sequentis, „ cujus titulus est, *Qui per Christum justificantur,* initio ita prosequitur : *Verum etsi ille* „ *pro* OMNIBUS *mortuus est, non* OMNES *tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed hi* „ *dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.* Ubi si attendamus, sine æqui- „ vocatione indecentissimâ S. Synodum non potuisse aliter accipere voculam, *Omnibus,* „ quàm sicut mox accipit illam, *Omnes,* clarum fit, cum dicitur *pro omnibus mortuus* „ *est,* eo sensu id accipiendum esse, ac si dictum fuisset, *pro omnibus omninò* : quippe

„ cum,

cum, ubi postea dicitur: *Non omnes tamen*, &c. sensus sit, *Non omnes omninò.*" Hæc sunt nova novi Doctoris mysteria. Itaque Tridentinum, secundùm hæc recentia oracula, & in ipso Tridentino Ecclesia Dei, magno Augustino Prosperum, magistro discipulum vel invitum prætulit in celebrarissimæ explanationis articulo; adeòque, si Theologum audimus, generalis Concilii sanctione, consecrata explicatio pro singulis generum, damnatâ ad perpetuas tenebras sententiâ Præsulis Augustini pro generibus singulorum. Mirum sanè & præstigio simile, neminem pro tam illustris Viri causa & nomine in ista Sessione digladiatum. Mirum vicissim, Doctores Catholicos Tridentinum subsecutos non subolfecisse condemnationem istam; quin è contrario expositionem, pro generibus singulorum, super alias deprædicasse. Utique mysterium Sessionis illius Tridentinæ hoc sæculo à Doctore nostro Theologo rescrandum erat. Apage, cum istis mysteriis. Hic est sensus naturalis, obvius, germanus Concilii Tridentini: *Etsi Christus pro omnibus mortuus est* (hoc est, etsi ea locutio secundùm Scripturas vera sit, Christum pro omnibus mortuum esse) *non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt.*

Licuit Concilio loqui cum Apostolo, non libuit impeditam de voce, *omnibus*, disceptationem evolvere, ac minùs, in Prosperi gratiam magni Augustini explanationem quasi per cuniculos furtivos suffodere. Quod ingenium talia paradoxa non exhorrescit? Satis certè fuit Concilio Christianam veritatem adversùm heterodoxos tueri, nullus omninò animus convellere doctrinam gravissimi Patris sui, utpotè quod & promiscuo Theologorum vulgo per sanctiones suas pepercit, eandemque sententiis in Ecclesia Catholica disputatis (ut historia fidem facit) semper, quoad potuit, attemperavit.

Qui in Tridentino elucidando mysteriosè vanus, peræque in intelligendo Doctore gentium infortunatus est. Binos ad quassandam Augustini sententiam ex Apostolo promit locos. Ad quassandam, aio, Augustini sententiam, nam verba ejus ipsissima vel insciè, vel (quòd pejus est) subdolè revellenda assumit, nimirum hæc: *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus*, quæ leguntur Epist. 102. ad Evod. Locorum istorum alter adscitus est ex cap. 14. Epist. ad Rom. *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Alter ex cap. 8. Epist. 1. ad Cor. *Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est*: Quos ambos in hunc modum Theologus interpretatur: *Cave ne actione tuâ, bonâ qui-* N
dem ob scientiam tuam, sed imprudenti ob ignorantiam aliorum, cave inquam ne illâ ÆTERNUM *perire* 5.
facias fratrem tuum, pro quo, ne periret, mortuus est Christus; atque ita fructum morsis ejus in fratre tuo impedias. Incredibile, quantùm isthâc sibi commentatione placeat, &, quasi partâ jam victoriâ, Jansenio insultabundus pæana cantillet.

Sed nos jactationes illas, prolato genuino Apostoli sensu, non difficulter comprimimus. Scopus Apostoli, utrâque sententiâ allegatâ, est deterrere fideles robustiores ab edendis idolothytis cum offendiculo infirmorum. Hinc caput illud ad Rom. incipit: *Infirmum autem in fide assumite ... ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum .... si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundùm charitatem ambulas.* Et tum immediatè subditur locus advocatus: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Quæ hìc (amabo) necessitas confugiendi ad explanationes remotas illas de *perditione æternâ?* Imò quàm hoc parum congruit iis quæ subsequuntur. *Noli*, inquit; *propter escam destruere opus Dei ..... bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aus infirmatur.* An non perditur frater lethali flagitio? An non destruitur opus Dei, dùm Christianus è templo Dei fit hara diaboli? An omne scandalum peccatum ad mortem est, & omnes perverso de fratribus judicio, vel imprudenti fratrum exemplò peccantes ad reproborum classem sunt redigendi? Quis ita sapiat? Non certè Apostolus, qui non ait: *Omne quod non est ex fide* (hoc est, quod non agitur eâ persuasione, quâ licitum credas esse quod agis) peccatum irremissibile, peccatum ad mortem, peccatum præcedens Judicium, sed, *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Hæc etiamnum evadent clariora per Epistolam ad Corinthios. Psæmittit loco per Theologum indigitato, *Sed non in omnibus est scientia: quidam autem cum conscientiâ usque nunc Idoli, quasi idolothysum manducant, & conscientia ipsorum, cum sit infirma, polluitur.* Quis non percipit, illic agi de pollutione conscientiæ per peccatum, & nullatenus de perditione æternâ? Eundem itaque sensum obtinet, quod eandem materiam prosecutus adjungit: *Et peribit infirmus in tua scientia frater prepter quem Christus mortuus est*, id est, *peribit*, morte peccati, &c. neque enim definire vult hìc Apostolus, infirmos illos offendiculo prolabentes per impœnitentiam finalem æternùm esse perdendos. Unde & sequitur: *Sic autem peccantes in fratres; & percutientes conscientiam ipsorum infirmam, & in Christum peccatis.* Ecce, quàm studiosè in oculos ingerat, se de vulnere conscientiæ dumtaxat verba facere, & nequaquam de interitu animæ sempiterno. Attamen perperâ illâ explanatione triumphabundus Theologus, rogatum Jansenium vult, "Quàm congrua, "
forei ista Apostolici dicti paraphrasis: *Noli cibo tuo illum perdere, &* DAMNARE, *pro quo ut* TEMPORALIBUS "
QUIBUSDAM GRATIÆ DONIS EXORNETUR, *Christus mortuus est? Peribit* ÆTERNUM *infirmus in tua scien-* "
tia frater propter quem, PRO TEMPORALIBUS QUIBUSDAM JUSTITIÆ EFFECTIBUS, *Christus mortuus est?* "
Quàm scilicet efficax eo sensu fuisset Apostoli monitum: Vide ne illum damnes, pro quo Christus quidem "

„ ne damnetur mortuus non est, sed tamen mortuus est pro temporali quadam ejus justitiâ, quam tu actione „ tuâ non impedies, quo minus ille in tantum habeat, in quantum pro ipso mortuus est Christus. Hæc „ certè qualia sint nemo non videt." Imo certè nemo non videt, cujus deviationis capaces sint, qui cum Scripturæ vocibus ideas suas obstinatè affixerint, sine fræno conceptibus suis indulgent, & erraticos ignes per avia & invia persecuti tandem in quarum nescio exorbitantiarum pelagus demerguntur.

Tametsi enim & ipsa improvida explicatio aliquid soliditatis haberet, ne sic quidem Apostolo obstrependum esset, nec superbæ naturæ obmurmurationibus pulsanda judicia Dei, ac si correptio de reprobis deberet quiescere, quòd illam non profuturam, occultis illis, sed æquissimis Divini arbitrii cardinibus fixum sit. Contrà Adamantinæ firmitatis est, certò damnandum, pro quo Christus, ne damnetur, mortuus non est, & constantissimæ simul est veritatis, etiam infelices illos, & ne damnentur, & ne alios damnandos damnent, à Præpositis suis & opportunè & importunè redarguendos.

Ex suprà dictis etiam liquet, quàm sit ista frivola in Præsulem criminatio, quod asseveret principiis
10. Augustini consentaneum, *Christum Dominum non magis Patrem pro æterna salute pereuntium quàm pro diaboli deprecatum.* Cum enim liquidò clarescat, quid phrasi illâ, *pro æterna alicujus salute* deprecari, intelligat, videlicet, *ex redimentis animo* orationem istam in actualem liberationem dirigi, *quæ directio Christi inanis esse non potest*; miserrimæ cavillationis genus est, sententias istâ circumscriptione determinatas & septas arrodere: dum nihil apertius est, quam Christum directione illâ voluntatis absolutæ, quæ inanis vel irrita non potest esse, non magis pereuntium æternam salutem, quàm ipsius diaboli, voluisse.

Neque enim *de una causa generis humani* & *poculo immortalitatis quod in se habet, ut omnibus prosit*, Jansenius quidquam est inficiatus, aut hac in re malignis spiritibus nos composuit.

Sed non tanto hanc Prosperi opinionem dignam encomio judicavit, quanto contra naturalem omnem cogitandi fandique normam Theologus jactitat. Exemplo familiari res fiet illustrior. Si vir opulentus pro filio suo dilectissimo, cum variis sodalibus, per Turcas capto, perquam immensam pecuniæ summam, quæ liberandis omnibus satis esset, in lytrum daret, ita tamen ut intentio ejus ferretur in solam redemptionem filii, quæro, an rectè diceretur vir iste pro redimendis mancipiis illis omnibus tot auri millia profudisse? Et tamen hîc etiam communis est omnium causa, & habet in se thesaurus ille, ut omnibus prodesse potuisset, si benevolentia opulenti Patris se perinde in alios atque in carissimum filium explicasset.

Sisto gradum: nam inamœnæ disceptationis me satias tenet, & cætera vel responso indigna, vel præviè per Virum eruditum obtrita sunt.

Operæ prêtium tamen fecero, si denuo hoc caput peremptoriâ adversum leves Theologi velitatio-
§.1. nes sententiâ finiam. Si, quod Theologus tanto molitus est studio, Ecclesia Christi *his temporibus ita amplexa est Prosperi viam, ut meritò censeri debeat illam fecisse suam*, ecce (fidenter pro magni Augustini discipulis eloquor) profligatam eo sensu propositionem (hoc est, illo, qui neget Christum sufficienter pro omnibus omninò hominibus mortuum esse) non modò detestamur ut impiam, & blasphemam, sed ut archi-Arianam, infernalem, & diabolicam.

COROLLARIO COROLLARIUM.

SI de nomine JANSENISTÆ ira Philosophandum, sicut novimus usu-venire in nomine THOMISTÆ, SCOTISTÆ, MOLINISTÆ, quid itaque stolido scommate divexantur, qui cultum B. Virginis, Sanctorumque spurium & indiscretum coarguunt; qui pro *pœnitentiâ ad salutem stabili* depugnant; qui mores ab Evangelio dissonos & perversâ Morali intoxicatos liberiùs carpunt; qui œcumenicorum Conciliorum Decreta Pontificiis Sanctionibus præferunt; qui vocationes ad statum Ecclesiasticum & Pastorales curas pondere sanctuarii librandas censent; qui demùm & famam & commoda sua mactant Veritati, nec *mirantes personas quæstus causâ*, nec comminiscentes vias illas inter veritatem ac falsitatem medias, quò hominibus placeant, & persecutionum, exclusionum, obloquiorum turbines ac dispendia à se repellant?

FINIS.